[illegible]

Con

[illegible]

[illegible]


6
11 E
54



Q. HORATII FLACCI METHODVS De Arte Poetica:

PER NICOLAVM COLONIVM *Expoſita*,

Quomodo antehac ab alio nemine.



BERGOMI MDLXXXVII.

Typis Comini Venturæ, & Sociorum.









FEDERICVM CORNELIVM CARDINALEM ET EPISCOPVM Patauij.



NICOLAVS COLONIVS.



Ecit humanitas & facilitas tua, mihi perspectissima, ne deterrerer amplitudine dignitatis tuæ ab hoc tibi mittendo munusculo: quo cupiebam meæ tibi deditæ voluntatis memoriam apud te renouare. Nolim enim existimes ex meo diuturno silentio, vel de meo tibi debitæ obseruantiæ studio aliquid imminui, vel animo excidere posse gratissima illa tempora,

qui-


quibus in Monticulo tuo, qui montes omnes magnos & claros ſuperat omnium ſuauitatum præſtantia, me apud te eſſe voluiſti familiariſsime. Magnum hoc ego duco, quòd placui tibi homini nobiliſsimo, & multis magnisq; virtutibus ornatiſsimo: nam gradus ampliſsimæ dignitatis ita iam Domui veſtræ clariſsimæ debitus videtur, vt a vobis ille, non vos ab illo ſplendorem accipere videamini. At, quam mihi puſillo tu vir tantus exiſtimandi copiam dediſti, quantum me amares? mitto vultus hilaritatem, qua me ſemper complexus es; intimam iucundiſsimæ conſuetudinis familiaritatem, qua me dignandum cenſuiſti: quibus me honoribus, quibus augere commodis voluiſti? verum ego, qui paruus iure perhorrui magna ſemper, & habere plura, quàm ſit ſatis, rem periculi plenam iudicaui, non accepi, quæ tu liberaliſsime deferebas. num ideo tibi minus teneor? immo vero tanti viri tam benefi-

cam

cam in me voluntatem tanti facio, vt nemini plus debeam. Hac igitur fretus humanitate tua, & beneuolentia erga me singulari hoc te munerari [redacted] Commentariolo non sum veritus; memor præsertim in illo amænissimo secessu quanti faceres Horatium, quem ferè nunquam è manibus dimittebas. Fuit ille quidem merito, dum viueret, principibus viris carissimus. non fuerunt, nec erunt minoris eius scripta pretij apud omnem posteritatem: quæ semper Auctorem suum summi fuisse iudicij, & virum doctissimum, atque elegantissimum testabuntur. Vnus hic Libellus, quo vim vniuersam Artis Poeticæ optimo complexus est ordine, iudicium & doctrinam viri singularem declarare potest: id quod ab alijs non animaduersum arbitramur nos primo ostendisse: non quòd alijs ingenio præstemus, sed quòd plus alijs in eiusmodi scriptis doctorum hominum intelligendis, importuno labore et fastidiosa

pa-

patientia diu multumque versemur. Eandem multorum annorum operis assidui incudem tundentes Commentarios in Methodum Analyticam Aristotelis cudimus, hoc vnum spectantes, vt rectam aperiremus viam intelligendi quæcunque Methodice scripsit Aristoteles. Laborem hunc primum in paruo, sed difficillimo opusculo, tanquam excursorem emisimus ad explorandas virorum doctorum iudicia, & vt cognosci possit, quid spei sit reliquum, siqua deinceps dabimus, non in vllius spem laudis, sed alicuius fructus eorum, qui in litterarum studijs versantur. Sed est, quod te rogatum magnopere velim, vt quos adiunxi tuo libellos, alterum Albano, alterum Veronæ Cardinalibus tradas manu ista tua, dignitate & auctoritate præstanti, ex qua Leuiculum istud munus apud grauissimos viros aliquid ponderis nanciscatur. Gratia Dei dirigat quicunque geris & optas.



Q. HORATII FLACCI DE ARTE POETICA Liber AD PISONES.





HORATIVM iudicio, & doctrina maxime excelluisse non est difficile ex eius scriptis conijcere, quę vndique studium hominis in omni Philosophia diligenter versati redolent. Verum & ipsius oratio est maxime accurata, in qua cum nihil sit inane, persimilis est Aristotelicę breuitati; & iccirco interdum obscurior, & quæ desideret lectorem nec stupidum nec negligentem, sed vehementer attentum. Ex omnibus autem ipsius scriptis libellus de ARTE Poetica habere plurimum obscuritatis videri potest, in quo interpretādo tam multi viri docti elaborarunt: necdum tamen ita sunt omnia explanata, vt nihil amplius desideretur. Omitto loca priuata, in quibus diuinationem potius, quàm certam rei bene cognitę declarationem videntur adhibere. Quid illud? quanti, quęso, ponderis est? inscriptionem ipsam, de Arte Poetica, esse qui

 suspi-

suspicentur, eosq; viros in primis doctos, adiectam esse ab aliquo imperito Grammatico; quamuis eam Quintilianus, & alij veteres, nihil dubitantes agnoscant. Nec leui ipsi quidem ratione adducuntur, vt ita existiment; qui dicant non hic omnia, quæ ad Poeticam pertinent, sed multa de Tragœdia tractari, & Comœdia, & alia quædam, vt sese offerũt scribi, quemadmodum fit in Epistolis; & præcipue nihil hic præcipi volunt de fabula Epica. Quãtum autem intersit quis non videt, ad hæc intelligenda quæ traduntur ab Horatio, si constanter sententiã Auctoris non teneas, nec scias quid ipsi propositum sit facere, vtrum, vt fit in Epistolis, de aliquibus quæ ad Poeticen, & scriptores Poematum pertinent, scribere voluerit, an de genere toto, vt præsefert inscriptio, tractare? Atqui ad hoc dijudicandum mihi quidem certe non solum vetus inscriptio, sed Methodus, & ordo, ratioque ipsa docendi admirabilis, quæ proprie adhibetur, cum aliquod rerum genus vniuerse tractandum suscipitur, magnum videtur habere momentum debuisse. Hac me fateor primo compulsum, vt rem attentius considerarem; deinde singulis rebus nõ diligenter modo, sed fastidiose expendendis, quidnam scilicet, & quomodo, quoue ordine doceret, tota Methodo instar exercitus pulcherrime instructi sæpius perlustrata, vidisse mihi videor, Horatium vniuersam vim Poeticæ facultatis, quam ipse magnus in primis Poeta, & magnis excultus doctrinis, animo comprehẽsam tenebat, in hoc libello ad Pisones, quãtum lex carminis pateretur, explicare voluisse. Atque hoc est, quod mihi nunc sumpsi quasi inspiciendum proponere, audax fortasse facinus, non tamen, vt puto, reprehensione dignum; Siquidem in magnis conatus etiam ipse in laude ponitur. Age igitur huic Methodo subiectum genus cũ suis speciebus, & quæ singularũ virtus, & quæ singulis propria accidunt, quomodo in hoc libello pulcherrimo comprehensa sint, ordine, (hoc autem est Methodo tradere vnum aliquod rerum genus) conemur ostendere. Sic autem Horatius propositam Methodum de Arte Poetica orditur, ab eo scilicet, quod principem locum tenet in omni Methodo, ad quod doctrina vniuersa tradenda refertur, cum ab eo manẽt omnia, quod vocant genus subiectum: cuius vim & naturam non modo ostendit Horatius, sed etiam vitia & peccata, quæ in eo tractando subiecto possunt contingere; & præterea cuius viri sit recte rem eam tractare. Hæc prima doctrina carminibus triginta & septem

ptem continetur, breuiter sanè, si rei magnitudinem, & difficultatem spectes: sed & natura Methodi breuitatem postulat, & lex carminis, astricta numeris, repudiat verbosum doctorē. Tam efficacibus tamen & exemplis & similitudinibus, more Poetico, doctrinam suam quasi subijcit oculis, vt atteto Lectori nec inerudito satis hæc breuitas facere possit. Sed veniamus ad carmina, & quod vniuersè diximus, sigillatim demonstremus.

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si velit, & varias inducere plumas
Vndique collatis membris: vt turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne:
Spectatum admissi risum teneatis amici?
Credite, Pisones, isti tabulæ fore librum
Persimilem, cuius, velut ægri somnia, vanæ
Fingentur species: vt nec pes, nec caput vni
Reddatur formæ.



VM Poeta non metris, sed fabulis fingendis dicatur Poeta, vt ait Aristoteles, & Horatius hoc principio significat, & in fabula comminiscenda, & recte constituenda sit maximus & præcipuus Poetę labor, est enim fabula (inquit Aristoteles) veluti anima operis Poetici; Horatius maximo iudicio Methodum suam de ARTE Poetica orditur a fabula, quæ principem locum tenet in hac facultate, cum sit finis ipsi propositus, & subiectum, in quo ipsa versetur. Potuit autem ingressus eiusdem ad eam videlicet rem, quæ prima esse debet apud Poetam, Lectorem monere, num forte vellet Horatius de genere vniuerso huius facultatis tractare, quando sic incipit ab eo, quod ipsi facultati proprie subiectum est. Nec ex hac concepta suspicione difficile deinde erat videre, an doceret de fabulis omnibus quæ sunt quatuor, Epica, Tragica, Comica, Satyrica, & de ipsis quæ singularū sunt propria, an vniuersè de ipso genere diceret, quæ essent necessaria: & in his tradendis non erat parui ponderis animaduertere, quo singula traderentur ordine, quo decoro, cum carmine scriberentur. Nam, quod aiunt de Epopęia nihil tradi, id non vere dici, quàm fuerit in promptu perspicere, in hac prima doctrina, quæ de fabula recte constituenda tradi-

tur, ostendemus. Quamquam enim, quod præcipitur vt fabula sit vna, comprehendit fabulas omnes, quas diximus, Epicam, Tragicam, Comicam, Satyricam; tamen, quoniam non tam facile peccari potest in reliquis tribus, sicut in Epica fabula componenda, quæ est opus longius, & eius longitudo proprie posita est in Episodijs, vt ex ipso Aristotele declarabimus, breuitatis causa, quæ est præcipua virtus in docendo, præceptum hoc exponit in eius compositione fabulæ, quæ est omnium difficillima, & in qua facile peccari potest. Sciendum enim est, Episodia (quod vocabulum significat rem foris assumptam ad delectandum) habere locum in fabulis, licet non semper, nec in omnibus, sicuti sunt Tragediæ simplices, & Comediæ, & Satyræ, quæ non egent Episodijs, nec in eas recte inducuntur: cum vero inducuntur apte, vt in fabulas, quas vocat Aristoteles πεπλεγμένας quæ habent περιπετείας .i. rerum euentus inopinatos, & agnitiones non expectatas, sunt eiusmodi Episodia in his fabulis & pauca & breuia. At in Epica fabula ita sunt & multa & longa, vt propterea opus Epicum vocetur πολύμυθον, idest multis refertum fictis fabulis: quibus etiam fit, vt in amplam magnitudinem excrescat: quod alijs fabulis accidere non potest, quæ hac ratione ex Episodijs scilicet non componuntur: ex quorum prorsus coagmentatione constat Epica fabula. Cum igitur propter multitudinem & longitudinem Episodiorum, in quorum admirandam varietatem, vt magis delectet, comminiscendam, totum Epici Poetæ studium, & ingenium intenditur, facile fieri possit, vt peccetur in Epica fabula constituenda, fiatque corpus non vnum, & cohærens, sed multiplex, disiunctum, & monstruosum, id quod, vt dixi, in alijs fabulis non ita potest contingere; Horatius hac pictura monstruosissimi animalis monet Epicum Poetam, ne sic inuarianda Episodijs fabula, quo maiorem pariat voluptatem, ingenio insaniat, vt ipse insanus & ridiculus efficiatur. Nec potuit melius, quam hac imagine proposita, sub aspectum ipsum subijcere duo, quæ ex aduerso repugnant vnius fabulæ simplicitati. Non solum enim in hoc monstro nulla pars cum altera cohæret, cum membra sint disparia, & nullo inter se fœdere naturæ coniuncta; sed cum Pictor vndique ex omni genere animalium, quæ in aere, quæ in terris, quæ in aquis viuunt, in hanc imaginem membra coniecerit; necesse est propter infinitatem membrorum, & nullam partium inter se proportionem

nem eius magnitudinem esse minime εὐσύνοπτον idest quæ vno veluti obtutu facile comprehendi possit, sicut docet Aristoteles. Oportet enim in fabula Epica, cuius partes præcipuæ sunt Episodia, ut suo loco aperte explicabitur, cum docebit quid maxime emineat & excellat in Epico Poemate, ita sint coniuncta cum toto Episodia omnia, ut vnum ueluti animal constituant, ex quo integro & pfecto & aspectabili ob egregiam rerum admirabilium compositionem admirabilis percipiatur uoluptas. Pertinent igitur hæc absque dubio ad constitutionem Epicę fabulæ, & Epico Poetæ hęc cauenda pręcipiuntur. Et Horatius id non obscure significat, cum dicit, *Credite Pisones isti tabulæ fore librum Persimilem*: nam libri nomine significat opus longum, cuiusmodi est Epicum Poema, Odyssea, Ilias, Eneis.

Velut ægri somnia.

Hæc quoque similitudo pulcherrime significat res minime inter se cohærentes. Et illa uerba, *cuius vana fingentur species*, nihil aliud significare possunt, quàm operam adhibitam in fingendis inanibus Episodiis; ex quibus componitur Epica fabula. nam in aliis fabulis aut nullum Episodium adhibetur, aut vnum, uel ad summum alterum, ut docet Aristotel. uidelicet [illegible]: studium autem uariandæ fabulæ nõ potest esse nisi ex Episodijs: quod fit in Epopæia tantum.

Vt nec pes, nec caput vni
Reddatur formæ.

Vna species enim & forma animalis, cui perfecto & integro Poema Epicum simile esse oportet, ut una sit fabula, quomodo constituetur ex disparibus, & minime sociabilibus naturis? uidebimus laudem Epici Poetæ in fabula una constituenda: de quo sic scribet.

Atq; ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Quo in loco explicabimus uirtutem & artificium Epici Poematis.

Pictoribus atque Poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Græci uocant [illegible], qua sæpe Arist. utitur, & q disputant sibi obijcientes, quod dici contra possit. Cum uero potestatem parem tribuit Pictoribus & Poetis, pulchre significat etiam omnem poesim imitationem esse: quia, sicut pictores imitantur

corpora

corpora, sic mores animorum & hominum uel honestos uel turpes imitantur Poetæ. & utitur apto uerbo, cum dicit *audendi quidlibet*, loquens de Poeta Epico: est enim Epicum Poema negocium audax, & omnium difficillimum, atque Epici Poetę ingenium in rebus fingendis admirabilibus maxime liberum est. Itaque Horatius Episodia Odyssez, uocat speciosa miracula: de quibus loco suo dicetur.

Scimus, & hanc veniam petimusq́, damusq́, vicissim:
Sed non vt placidis coeant immitia: non vt
Serpentes auibus geminentur, tigribus agni.

ἀνθυποφορὰν Sub jcit ἀνθυποφορὰν, quâ concedit potestatem audendi & confingendi res miras; sed non ad imitationem monstri supra descripti, in quo serpentes cum auibus, tigres cum agnis copulantur: quæ res inter se consociari non possunt, nec ex eiusmodi corpus unum confici potest, sicut postulat Epica compositio: huc enim referenda, quæ nunc dicuntur, omnia.

In cœptis grauibus plerunq́, & magna professis
Purpureus, late qui splendeat, vnus & alter,
Assuitur pannus: cum lucus, & ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluuius describitur arcus.

Etiam hoc carmen, *Incœptis grauibus & magna professis*, monere debuisset Interpretes, quę prçcipiuntur pertinere ad Epicum Poetam, qui solus initio profitetur se de rebus grauibus & magnis scripturum. Simili modo eundem paulo infra significat, cum dicit, *promissi carminis auctor*: sic etiam postea, cum iterum loquetur de Poeta Epico.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Quod uero aliqui dicant hic agi de Episodijs, nec usquam alibi, non satis intellexisse uidentur, quid sint Episodia. sunt enim pars fabulæ etiam in alijs fabulis; in Epica uero sunt, ut ita dicam, totũ ipsius fabulę, id quod postea suo loco declarabitur. At hic loquitur de rebus, quæ nullo modo possunt esse partes fabulæ, cum sint digressiones a re proposita, quæ a Poeta Epico, dum modis omnibus uariare suum Poema nititur, inepte adhibentur.

Nos igitur persequentes, quod proposuimus demonstrare de Methodo instituta ab Horatio, dicimus, postquam monuit

excogitáda varietate Episodiorum quàm fœde peccari possit, si propter nimium delectandi studium ex iis fabulam contexere conetur Poeta, quæ in vnum corpus coalescere nequeât, subijcit vitium alterum, ex eodem studio manans delectandi & variādi Poema, dum Poeta captat occasiones ad digrediendum ad aliqua, in quibus mollibus, & splendidis carminibus lasciuire ingenium possit, quales sunt locorum & rerum descriptiones: quarum Horatius ponit exemplā, nihil ad rem susceptam pertinentia. Suspicor autem hæc ab Horatio fuisse animaduersa in Poetis sui temporis. Non deerant enim qui ignorantes leges & virtutem scribendi, carmina tamen pangerent in omni genere Poematum. Nam, quod pertinet ad descriptionem Rheni fluminis, sine dubio notat Alpinum, de quo sic scribit in Satyra decima:

Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona; dumque
Diffingit Rheni luteum caput, hæc ego ludo.

Scribebat Memnona, opus videlicet Epicum, ob id & turgidum vocat, in quo putabat sitam esse maiestatem carminis Epici. de quo vitio dicetur paulo infra. In illud autem opus coniecerat lōgam, & multorum carminum Rheni descriptionem. Reijcit igitur Horatius ab operis Epici grauitate eiusmodi, tanquam loco non congruentes, & ineptas, digressiones. Monstrum etiam supra descriptum ob monstruosam varietatem Episodiorum facile notauerat Horatius in Poetis sui temporis, ignorantibus virtutem Epici Poematis. fieri enim potest, vt in vtroque vitio fœde peccarent: sicut etiam qui scripserunt Orlandum & Rinaldum, viri alioqui nobiles & docti. Nihil enim fieri potest monstruosius illorum Episodijs, nihil minus cohęrens illis Poematibus, in quibus sunt etiam frequentes eiusmodi digressiones ab Horatio reprehensæ: quæ in alio genere Poematis iudicio & loco adhibitæ laudarentur: sicut quæ a Virgilio concinnè in Georgicis in fine cuiusque libri, postquam institutæ præceptioni satisfecit, adijciuntur. Sed nunc non erat his locus; non enim res eiusmodi cum rebus grauibus & magnis, quas professus est, nec molle carmen cum maiestate carminis Heroici congruit.

Et fortasse cupressum
Scis simulare. Quid hoc? si fractis enatat exspes

Naui-

Nauibus ære dato qui pingitur.

Iocose & lepide inepti pictoris exemplo, qui quidquid pingendum sumebat, in tabella cupressum etiam, quam sibi pulchre effingere videbatur, volebat adiungere, reprehendit iudicium ineptum conijciendi eiusmodi digressiones in opus graue. Quid tu elegans simulator cupressi in naufragi tabella cupressum appingis? quid fluctibus & naufrago cum cupresso?

Amphora cœpit
Institui, currente rota cur vrceus exit?

Amphoræ, quod magnum est uas, simile est opus Epicum magnum, & de rebus magnis. eæ digressiones sunt similes vrceo, quod vas paruum est, si comparetur cum amphora. Itaq; Poeta Epicus, eas agglutinans operi magno, quod instituit, perinde facit ac figulus, qui amphoram institutam in vrceum contrahat. sic multis rationibus eas oĩno repudiendas ostẽdit.

Denique sit quoduis simplex dumtaxat, & vnum.

Superiora omnia huc spectabant, ut præciperet, quibuscunque ex Episodijs, ingenio Poetæ excogitatis, Epica fabula componeretur, eam simplicem & vnam esse oportere. Ac præceptum quidem omnibus fabulis commune est, sed id potissimum in Epica docere voluit, quòd eius compositio sit omniũ difficillima. Id sic esse oportere, ex compositione Odysseæ & Iliadis intellectum esse docuit Aristoteles. Itaque Aristoteles idem dicit Iliada esse orationem vnam vinculo & nexu: quoniam sicut in vna scientia omnia inter se connexa sunt ad vnum genus relata, sic in Iliade omnia vinculo vno inter se constricta sunt, Achillis videlicet irati ob Briseidem abductam, a quo pendet actio illa Iliadis. Sicut enim vna scientia, & doctrina est vnius generis, sic vna fabula est vnius non personæ tantum, sed etiam actionis; cuius partes ita inter se cohæreant, vt vel transposita vel sublata aliqua parte totum immutetur; & non sit idem. & ob id etiam locum hic habere non possunt digressiones, de quibus supra, quibus sublatis nulla totius fiat immutatio. Hoc est vnum, & simplex, de quo loquitur Horatius: quod scilicet in Homero optime cognouit, vt alio loco demonstrabimus. Sic igitur, vt ostendimus, hactenus omnia dicuntur, ut liquido appareat accommodari ea

non posse, nisi ad Epicam fabulam, & Epicum Poetam. Videamus & quæ sequuntur.

Maxima pars vatum, pater, et iuuenes patre digni,
Decipimur specie recti. breuis esse laboro,
Obscurus fio. sectantem læuia, nerui
Deficiunt, animiq; : professus grandia, turget:
Serpit humi, tutus nimium timidusq; procellæ.
Qui variare cupit rem prodigialiter vnam:
Delphinum siluis appingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpæ fuga: si caret arte.

Causam affert, cur in contexenda Episodijs Epica fabula in hanc incidant fraudem; & in ea declaranda exemplis maxime appositis vtitur. Causa est species recti, quę inducit in errorē.

Laus enim fabulæ Epicæ ex fictis Episodijs existit, in quibus maxime elucet ingenium Poetæ. Hinc dum cupiunt, & ingenium ostentare, & rebus miris delectare, nullum finem faciunt variandi & confingendi, quæ inter se cohærere nō possunt. Ita, dum vndique conquirunt, quæ pulchram & iucundam fabulā efficiant, mōstruosam & ridiculā efficiunt. Hic modus peccādi, re bona proposita, quatuor exēplis appositissimis ostenditur. sunt.n.peccata scribentiū, dum nimio studēt opere in ijs eminere virtutibus, ob quas oratio laudatur. De carminibus autē, & oratione Poetarū hęc intelligenda existimo, vt obiter Horatius in hoc etiam genere moneat quomodo peccetur.

Breuis esse laboro, Obscurus fio.

Non temere factum puto, vt de breuitate sic pronuntiauerit in prima persona. Nam Horatius huic virtuti studuit, & in ea iudicio meo plurimum excellit. maximum enim studium adhibuit tum in deligendis verbis, in quibus vis esset efficax ad id significandum, quod volebat, tum in conformandis sententijs, in quibus vis constipata verborum nihil inanitatis haberet. Sed interest inter breuem & obscuram orationem. Obscura intelligi non potest; Breuis sine studio & attentione, non percipitur. sic fere sunt Horatij carmina: quæ propter doctrinam etiam, quam redolent, lectorem non indoctum desiderant. Est ergo breuitas virtus media inter duas vitiosas orationes; redundantem verbis superuacuis; & obscuram. Et, quoniam breuitas maiorem habet conuenientiam

cum obscura, quàm cum redundante, nisi scriptor studiosus breuitatis sit admodum cautus, & sapiens, facile labitur in obscuritatem.

Sectantem læuia nerui deficiunt, animiq́ue.

Per læuitatem orationis non solum cultum & elegantiam significat, sed numerum mollem, & suauem in carminibus faciendis absque vllo aspero concursu. In hoc genere laudis excellit præcipue Virgilius in Georgicis: qui materiæ horridæ, & inopi ab omni elegantia, optimo iudicio vtrunque tribuendum existimauit: id quod ipse significat in Tertio, pulcherrimis illis carminibus:

Nec sum animi dubius, uerbis ea vincere magnum
Quàm sit, et angustis hunc addere rebus honorem,
Sed me Parnassi deserta per ardua dulcis
Raptat amor. iuuat ire iugis; qua nulla Priorum
Castaliam molli deuertitur orbita diuo.

Idem conatus erat Lucretius, qui vicit quidem in eo priores Poetas, sed illum post se reliquit Virgilius. cui & Horatius laudem hanc tribuit cum dicit:

Molle atque facetum
Virgilio annuerant gaudentes rure Camœnæ.

Est enim duplex, vt dixi, laus: altera numeri mollis; altera orationis lætæ, & quasi ridentis. Sed ostendamus etiam Lucretij conatum in illis carminibus, quæ Virgilius est imitatus.

Nec me animi fallit, quàm sint obscura: sed acri
Percussit Thyrso laudis spes magna meum cor.
Et simul incussit suauem mi in pectus amorem:
Musarum quo nunc instinctus mente vigenti
Auia Pieridum peragro loca nullius ante
Trita solo: iuuat integros accedere fontes.
Atq́ue haurire.

Hæc virtus media est inter horridam incultamque orationem, qualis fere fuit veterum Poetarum; & eneruatam ac exanguem, vt sunt eorum carmina, quæ nihil habent pręter elegantiam verborum, & mollem numerum, & sunt, vt inquit Horatius, versus inopes rerum nugęque canoræ.

Professus grandia turget.

Sic peccant Epici Poetæ. Itaque, vt antea diximus, vocat

Alpinum

Alpinum turgidum. Est metrum Heroicum, quod Græcis Epos vocatur, maiestatis & grauitatis plenissimum, vt inquit Aristoteles, & numerus inter alios omnes maxime elatus. Apte vero, cum vellet significare genus dicendi grande, quod antea *professus magna*, nunc dixit *professus grandia*, idest, res initio libri professas, quæ desiderant orationis granditatem. Est autem grandis oratio inter humilem & turgidam. itaque Poeta Epicus, dum maxime vitat humilem, vt nullo modo sibi congruentē, omnibus conquirēdis, quæ grandiorem efficiunt orationem, facile in turgiditatem delabitur, & dum uitat humum, nubes & inania captat. Horatius in Epistola ad Augustum granditatem Epici carminis cum humili carmine collatā effingit non illepide, sic scribens:

Nec sermones ego mallem
Repentes per humum, quàm res componere gestas,
Terrarumq; situs, & flumina dicere, et Arces
Montibus impositas, et Barbara regna, tuisque
Auspiciis totum confecta duella per orbem,
Claustraq; custodem pacis cohibentia Ianum,
Et formidatam Parthis te principe Romam:
Si quantum cuperem, possem quoque. sed neque paruum
Carmen maiestas recipit tua, nec meus audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.

Sed est etiam sua laus generi dicendi tenui, & carminibus humilibus de rebus humilibus, vt quæ Virgilius iuuenis lusit carmina Pastorum, audaxque iuuenta:

Tityre te patule cecinit sub tegmine fagi.

Itaque cum genus omne dicendi attigisset, sic fecit initium Eneidos: vt triplici quasi filo, triplicis characteris imaginem adumbraret. Et in hoc igitur genere peccatur, sicut qui serpit humi tutus nimium timidusque procellæ. vt enim qui nauigat nimium timidus, & plusquam satis est vitæ prospiciens, a littore non discedēs, in dura vada impingit carinam: sic qui nimiū metuit, ne parum tenue sit & gracile carmen, omnem colorem, omnem succum reformidans, ad ieiunam prorsus, & aridam tenuitatem carminum filum deducit. Sed quò spectant hæc exempla peccantium specie recti? Huc scilicet. eodem enim modo; *Qui variare cupit rem prodigialiter vnam, Delphinum Syluis appingit fluctibus aprum.*

Nam, quoniā Epica fabula constat ex variis Episodijs inge-

nio Poetæ excogitatis,& ex ijs tamen Episodijs sic esse oportet, quæ apte possint in vnum corpus conformari; si tu, ut magis delectes, prodigiosam varietatem comminiscaris ex rebus miris non cohærentibus,perinde facis,ac si Delphinum syluis appingas, fluctibus aprum. *Rem vnam* respicit præceptum quod declarauimus: *Denique sit quod vis simplex dum taxat,et vnum*.

Idem enim est ac si dixisset rem & fabulam, quam oportet esse vnam. *Prodigialiter*, respicit monstrum, initio descriptum. Quod igitur pertinet ad fabulam Epicam variandam, illo conclusum est præcepto, *Denique sit quod uis simplex dumtaxat, et vnum*. ut quamuis Poetæ liberum sit comminisci, quæ velit: eius tamen libertas hac lege regatur, vt intelligat fabulam oportere vnam esse, quomodo videmus Homerum fecisse. Varietas quidem Episodiorum est id, quo illustratur Epica fabula, & efficitur admirabilis: sed varietas prodigiosa ex rebus natura disparibus, & non cohærentibus est vitiosa, sicuti breuitas obscura, & læuitas carminis eneruata,& exanguis, & granditas orationis turgida, & carmen tenue, ieiunum,& aridum. Fit vero prolapsio in eiusmodi vitia ex eo, quòd in vitium ducit culpæ fuga, si caret arte, & quòd, sicut alibi dicit, *Dum vitãt stulti vitia in contraria currunt*.i.ob ignorationem eius,quod rectum est.Nam peccare quoniam careas arte & prudentia, & ob stultitiam & ob ignorationem recti idem sunt.Peccat Epicus Poeta in variãda fabula,dum vitat,ne parum admirabilis videatur, & ignorat quomodo recte possit esse admirabilis:quod in præcepto positum est,de quo supra.

Aemilium circa ludum faber imus, & vngues
Exprimet: et molles imitabitur are capillos:
Infelix operis summa: quia ponere totum
Nesciet. hunc ego me, siquid componere curem,
Non magis esse velim, quàm prauo viuere naso,
Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.

Hac fabri similitudine, qui vltimam habebat tabernam circa ludum gladiatorium L.Aemilij Lepidi,& hac iocosa clausula postquam significauit, in quo laus consistat Epicæ fabulæ, & quæ uitanda sint peccata, & conijciendum reliquit, quantam habeat difficultatem Epicæ fabulæ recta compositio, indica-

re

re voluit, non satis esse Poetam vnam aliquam rem scire & tenere, sed neminem Poetam recte quidlibet compositurum, nisi magnis instructus doctrinis sit uir perfectus; id quod tanto magis requiritur in Epico Poeta, quod maximum omnium est opus Epicum Poema. Sed erit & alius locus dicendi de praestantia scribentium Poetarum. Atque hactenus, quæ præcipere uoluit Epico Poetæ de uarianda Epica fabula, sic, ut quemadmodum fecit, & docuit Homerus, ex ea uarietate apte conficiatur corpus unum perfectum, secum undique consentiens, membris recte dispositis & cohęrentibus.

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus, & versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

Hac sententia, desumpta a proxima de fabro similitudine, lepide parat transitum ab inuentione, & compositione fabulæ ad ordinem & elocutionem Poeticam: quibus rebus quid potest esse magis consequens, & magis indicare hæc methodice tradi? congruenter autem huic rationi excusat se Horatius Augusto in illis carminibus, quæ supra posuimus. *Nec meus audet rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.*

Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Verbum, *potenter*, omnia comprehendit quæ desiderantur ad perficiendum susceptum negotium. ultimo loco posuit uocem *ordo*, ut eius statim fieret lepida repetitio.

Ordinis hæc virtus erit, & venus: aut ego fallor:
Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
Pleraque differat, & præsens in tempus omittat.
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.

Quãquã præceptum cõmune est in disponenda fabula qualibet, uel Tragica, uel Comica, uel Satyrica, uel Epica, ut sit ordo differens ab historico, & naturali: tamen, quoniam maius iudicium requiritur in Epica fabula, sicut supra fecit de fabulæ compositione, sic nunc priuatim de dispositione præcipit Epico Poetæ, quem significat illis uerbis, *Promissi carminis auctor*. In secundo autem membro inquit: *Iam nunc debentia*

bentia dici pleraque differat, significat ordinem, quem secutus est Homerus: qui orditur bellum Troianum ab vltimo anno, & eodem modo errores Vlyssis. sic facit Virgilius Aeneam digredientem e Sicilia septimo anno, quo fecit errandi finem, & peruenit in Italiam. Sic igitur pleraque, quæ continet Epica fabula, quæ deberent dici ordine scilicet naturali & historico præcedentia, differuntur & in præsenti omittuntur, & ab eo fit exordium, quod post illa multa dicendum esset: ita ut postea sciat acri iudicio, quod nunc dicat eligere, & reijcere, quæ differenda sint: in hoc consistere iudicat uim & uenustatem omnem Epicæ fabulæ disponendæ. Venustas autem dispositionis est ordinis ipsius clara quædam lux, quæ obijcit nobis spectandam integram speciem perfecti corporis cum membris, & partibus omnibus aptissime dispositis; quod est illud unum & simplex, quod requiritur in fabula.

In verbis etiam tenuis, cautusq́; serendis
Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit iunctura nouum. si forte necesse est,
Indicijs monstrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturq́; licentia sumpta pudenter.

Tria sunt, inquit Cicero, in uerbo simplici, quæ Orator afferat ad illustrandam atque exornandam orationem, aut inusitatum uerbum, aut nouatum, aut translatum. Ex hoc triplici ornandi genere vnum ne tantum genus, an duo ponat hic Horatius, magna est inter Interpretes pugna, tum de ui verborum, tum de sententia diffidentes. alii enim volunt hic agi de verbis tantum nouatis vel coniunctione, & hoc primo loco; vel sine coniunctione, & hoc secundo loco: alii volunt primo loco significari translationem; secundo loco verba nouata. Nemo quicquam dicit, cur prætermiserit inusitata, id est prisca, & vetusta, quæ ab vsu quotidiani sermonis iamdiu intermissa, Poeta iudicio delecta rursus quasi profert in lucē. quam operam in Poeta præcipue laudat Horatius in Epistola secundi libri, ad Iulium Florum sic scribens:

Obscurata diu populo bonus eruet, atq́;
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum:
Quæ priscis memorata Catonibus atq́; Cethegis,
Nunc situs informis premit, & deserta vetustas,

Quin

Quin & Cicero dicit hæc esse Poetarum licentiæ liberiora, quàm Oratoris. Cum igitur hic de Oratione Poetica sit professus se dicturum, quam & in hoc Libello & alibi ostendit multo cultu limatam esse oportere, non est existimandum aliquid hic Horatium temere vel dicere vel omittere. Tentemus igitur, an aliquid dicere possimus, quod cum Horatiana locutione consentiat, quæ est maxime accurata, & minime tamen quæ ob contractionem vel ambiguitatem in varios sensus iure trahatur. Primum igitur, cum hoc ornatu verborum simplicium, de quo hic agitur, sit oratio veluti floribus, vt Cicero docet, conspergenda, & parce dispositis quasi luminibus distinguenda, præmunit aptissime doctrinam hanc de oratione illuminanda tali verborum orna tu, sic incipiens:

In verbis etiam tenuis cautusq; serendis. Parcum .n. esse iubet, & cautum: nam opus est etiam prudētia, & iudicio; & verbum *serere* nihil aliud significat quàm conspergere. nā tenuitas, & calliditas quid aliud, quæso, spectat, quàm modum vtendi & collocandi eiusmodi Lumina? sequitur, *Dixeris egregie*: an non ex his verbis expectandum est, vt in medium afferat ornandi genus, quod excellat & præstet omnibus, & orationem egregie illustret? tantus certe honos tribui non potest verbis nouatis, factis ex coniunctione, quibus Poetæ Tragici præcipue vtebantur: cuiusmodi vocat Horatius ampullas, & sesqui pedalia verba, & alibi, ut docebo, verba solum dominantia, & inornata. Nemo autem dubitare potest ex his, quæ scri buntur ab omnibus, & Græcis, & Latinis de Metaphora, quin in ornando, & illustrando huic Lumini palma tribuatur: & id in primis requirit iudicium, & ingenium, & propterea omnium etiam maxime delectat: quoniam si ratione facta sit translatio, is qui audit, inquit Cicero, aliò ducitur cogitatione; neque tamen aberrat: quæ maxima est delectatio.

Itaque non est credibile, Horatium in oratione Poetica tractanda, quam egregiam esse oportet, id omisisse, quod eam omnium maxime facit egregiam, & illustrem. Sed ipsa quoque uerba Horatij sunt expendenda, & ostendendum non posse illa accommodari ad significandum verbum nouatum, factum ex coniunctione, quale est *Expectorat* & *Versutiloquum*: atque ꝙ̃ sis tam concinne describi modum faciendi verbi translati, vt nihil apertius, aut aptius dici possit. Verba sunt hæc, *Notum si callida verbum reddiderit iunctura nouum*: quod, quæso, specimen

cimen calliditatis apparet in faciendo verbo, *Expectorat*, aut, *versutiloquum*? quid in ijs iungendis est ingenij, quę ferè tradu, cuntur imitatione de Græcis? deinde in eiusmodi exædificatione, & coniunctione, quodnam est verbum notum nouatum? siquidem compositio necesse est fiat ex multis. At contra vide, quàm mirifice quadrēt hæc omnia ad uerbum transferendum. sumitur enim verbum notum, ueluti est lumen quod de Sole proprie dicitur, a quo illustrantur omnia. Hoc uerbum sic notum omnibus per analogiam, & similitudinem, quòd Sol sic illustret omnia, virorum eccellentium ingenio translatum est ad multa, qui dixerunt Lumē Ciuitatis, Lumen Reip. Lumen ingenij, Lumen consilij, Lumē orationis: & cū his singulis iudicio & prudenter coniunctum, ex noto factum est nouum, de iure suo migrans ad aliena. Est ergo in hoc ingenij & prudentiæ opere, & callida iunctura, & verbum notum redditum nouum. Eodem fere modo uerbum translatum significat, alio quoque loco dicens:

Ex noto fictum carmen sequar, vt sibi quiuis
Speret idem, sudet multum frustraq́ laboret
Ausus idem. tantum series iuncturaq́ pollet:
Tantum de medio sumptis accedit honoris.

Vbi etiam non cuiusuis esse monet recte transferre, & apte, sed hominis docti, & Philosophi. Verū hac de re dicemus, cūad locum peruenerimus: quem locum, sicut etiam hunc, interpretantur longe aberrantes, ut nos existimamus, ab Auctoris sententia. Tantum nunc monuisse sit satis: cum dicit, *Series iuncturaq́*, non accipi iuncturam ab Horatio de compositione & coagmentatione in unum corpus, uti sunt verba facta ex coniunctione; sed de verbo adiuncto alteri verbo, sicuti, ciuitati, Reip ingenio, consilio, orationi, Lumen adiungitur. talem enim quandam continuationem significat verbum *series*. Quare, cum tam multa concurrant ad idem confirmandum, pro certo tenere debemus, hunc esse verborum Horatij legitimum & germanum sensum, ac vere dici *Egregie*, si Metaphoris sint apte & prudenter distincta carmina. Quod sequitur, pertinet ad verba nouata: sunt enim abdita rerum, quæ concipimus animo τὰ νοήματα, quorum nomina, & verba sunt indicia, & tanquam notæ. Et accipienda sunt verba nouata vtroque modo, vel coniunctione, vel sine coniunctione. Est enim præceptum simplex, & ἁπλῶς absque vlla distinctione

ne. & quod præcipit, vt prudenter & verecunde in ijs verbis nouandis se gerant, vtrique generi verborum nouandorũ conuenit. Multa enim impudenter dixerunt priores Poetæ; ut ille qui fecit *incuruiceruicum pecus*. non enim in hoc genere audere Latini feliciter omnia possunt, quæ Græci. Sed cur, Horati, nihil hic præcipis de vetustis inusitatis, quorum species digna sit, quæ in vitam & lucem pristinam restituatur? an satis tibi visum est, id vno verbo significare cum dixisti, *Cinctutis non exaudita Cethegis*. Cur enim de verbis nouandis præcipiēs, *Cinctutis*, verbum vetustum huc protulisti? Non est hoc casu factum ab homine, qui nihil temere facit, dicitue in scribendo. Et hoc ergo studium in eruendis obsitis vetustate. vocabulis breuiter significare voluit, cum doceret rationes faciendi verba noua. Quod fit tribus maxime modis; primo in transferendo; deinde in verbis nouandis, vel coniunctione, vel sine coniunctione; tertio, qui deinceps dicetur, modo: nam inusitata non sunt noua, sed veluti in patriam de exilio reducta, vt hoc vocabulum, *Cinctutus*: quod deductum a ~~Cincta~~, quo significatur cingulum militare, vel ab eo quòd cincti dicebantur obligati militiæ sacramento, significat militarem, & fortem virum: quæ prima fuit laus in Repub. Romana. Peregrinitas autem orationis, propter quam dictio Poetica longe recedit ab vsu communi, & Poetæ videntur aliena locuti lingua, hic præcipue tractatur ab Horatio. At noua, & quasi peregrina dictio efficitur præcipue tribus his, vt dixi, translatis, nouatis, & Græcis locutionibus imitandis: qua de re sic pergit dicere:

Cinctu

Et noua fictaq; nuper habebunt verba fidem, si
Græco fonte cadant, parce detorta.

Non puto hic significari Græcorum vocabulorum copiam, quibus aucta est lingua Latina: in his.n. quid sibi velit illud, *parce detorta*, non video. Aliud ergo, quod sit maioris operis, & ingenij, significatur: in quo & parcum esse deceat, & prudentem: detortum autem ad imitationem pertinet. Et puto significari imitationem locutionum Græcarum, qua imitatione verba Latina quasi nouantur. Grammatici vocant Hellenismum: de quo quædam notauimus in Methodo nostra Grammatica. sic enim more Græcorum dicuntur modi Infinitiui pro Gerun

dijs & supinis, vt *Blandus ducere, Niueus videri, Lubricus aspici*; & illa de Græcis detorta sunt, *Expleri mentem nequit*, & *Faciem mutatus*, &, *Desine mollium querelarum*, & alia, quæ fieri iudicio debent, & parcę. Nouantur igitur etiam hac ratione verba imitatione de Græcis sumpta; eiusmodique imitatio approbatur: & talis nouitas fingendorum verborum non parum splendoris acquirit dictioni Poeticæ.

Quid autem
Cæcilio Plautoq́, dabit Romanus, ademptum
Vergilio Varioq́?

Et horum virorum exempla declarant, de quo loquitur Horatius, id esse maioris operæ quàm transferendi Græca vocabula in vsum Latij.

Ego, cur acquirere pauca
Si possum, inuideor?

Hoc vero aperte indicat quod diximus de imitatione Græcę locutionis nouanda in verbis Latinis. Nã *Inuideor*, imitatione Græcorum dictum est, qui verbo φθονῶ cum infinito vtũtur pro negare, nolle, & non concedere. Cur inuideor, τί φθονοῦμαι cur prohibeor acquirere pauca, si possum? hoc modo linguam Latinam locupletarunt Cato & Ennius. Quin semper licuit, semperque licebit signatum præsente nota, id est quod non abhorreat a consuetudine loquentium, producere, vel, si mauis, procudere nomen.

Hæc est Methodi prima pars communis omni Scribenti de Poetica inuentione, dispositione, & elocutione. Quam præceptionem aptissime claudit, & exornat pulcherrimis, & elegantissimis carminibus de rerum omnium vicissitudine, de vsu ipso loquendi, apud quem ius est, & norma loquendi. Itaque ab eo quoque accipienda sunt quæ progignit noua. sic enim scribit ad Iulium Florum:

Adsciscet noua, quæ genitor produxerit vsus
Vehemens & liquidus, puroque simillimus amni.

His expositis, persequitur quæ aptissime consequuntur. Cum enim omnis Poesis sit imitatio, vt dictum est, & omnes, qui imitantur, non solum aliqua imitentur, sed aliquibus

etiam

etiam rebus imitentur, & Poetæ metro præcipue imitentur; docet & esse diuersa genera metrorum & numerorum, & quæ cuique generi rerum & Poematum iudicata sint, conuenire.

Res gesta Regumq; Ducumq; & tristia bella,
Quo scribi possent numero, monstrauit Homerus.

Res graues & magnæ, vt sunt res gestę principum virorum, quo metro quasi tueri possent amplitudinem suam, iudicauit Homerus, & monstrauit: qui non solum Epici carminis & Poematis, sed omnis fere Poeseos, Aristotele teste, auctor est: quem fecisse omnia recte prædicat, & solum vidisse, quo vinculo constringenda & disponenda esset Epica fabula, vt esset vna. Scripsit igitur Exametro carmine Iliada & Odyssea, quod carmen non solum ipso numero, sed verbis electis, & oratione ampla, cuiusmodi esse deberet, docuit. itaque & Heroicum vocatur, & apud Græcos proprio etiam nomine Epos, quo vtitur Horatius, vnde Epopæia, idest poesis scribens τὰ ἔπη: habet enim nomen a genere carminis, sicut etiam Elegia. de quo genere carminis sic pergit dicere:

Versibus impariter iunctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Sicut fecit de Epico poemate, sic facit etiam hic; coniungit metri genus cum re metro comprehensa. sic enim initio iudicatum fuit Pentametrum, additum Exametro, rebus miserabilibus deflendis conuenire, quòd hoc modo carmen, ex doloris vehementia fortiter inceptum, postea dolori ferendo animo succumbere, & quasi considere videretur. Posteriores Elegorum Poetæ rem etiam lætam, & quæ ex sententia successisset, in amore præsertim, hoc carmine celebrarunt.

Quis tamen exiguos elegos emiserit Auctor,
Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est.

Princeps quidem fuit Epici carminis Homerus: non ita certum est, quis fuerit Auctor Elegi carminis: multi enim nominantur, Callinus, Theocles, Terpander, Midas, Phryx: nec adhuc constat, cui potissimum id tribuendum sit.

Archilochum proprio rabies armauit Iambo.

Ad carmen Iambicum transit. priscis autem temporibus scri-

ſcribit Ariſtoteles alios fuiſſe Heroïcorum Poetas, alios Iamborum, & Iambicum carmen opprobriis aptum: vnde & ἰαμβίζειν eſt maledictis laceſſere. itaque & hoc loco verbum, *Proprio*, non eſt referendum ad Archilochum, ſed ad verbum *Rabies*: nullus. n. numerus aptior Iambo, qui eſt pes citus, ad rabiem & furorem maledicendi: & oratio irati, tamquam furentis impetu fluminis, rapida fluit Iambis.

Hunc Socci cepere pedem, grandesq; Coturni,
Alternis aptum ſermonibus, et populares
Vincentem ſtrepitus, & natum rebus agendis.

Sicut metrum Heroïcum, rebus aptum enarrandis, id quod fit in Epopæia, ipſa experientia inuenit & approbauit; ſic natura ipſa videtur inueniſſe Iambum, quo in rebus agendis, & conferendis mutuo ſermonibus vteremur. Non enim remotum eſt a dictione quotidiana: cum, vt inquit ille, maximã partem ex Iambis noſtra conſtet oratio. Reliquæ igitur ſpecies tres fabularum, quæ ſermones quotidianos diuerſarum perſonarum imitantur, hũc ſibi aſcribere pedem, licet veteres Tetrametris vterentur, magis ad Satyricã dictionem accommodatis: ſed alio loco etiã dicetur de Iãbo & trimetris, quos Socci.i. Comędiæ, Coturni, ideſt Tragędiæ, cepere. Quod Horatius autẽ dicit *Alternis aptum ſermonibus*, Ariſtoteles dicit λεκτικόν; & quod Horatius *Natum rebus agendis*, Ariſtoteles πρακτικόν, ſic vocans Trimetrum: nam Tetrametrum dicit eſſe ὀρχηστικόν & ſaltationi accommodatum. Quod vero dicit *Populares vincentem ſtrepitus*, illud ſignificat, Actoribus, quibus contenta voce dicendum erat, hunc pedem, qui citus eſt, fuiſſe omnium maxime accommodatum.

Muſa dedit fidibus Diuos, puerosq; Deorum,
Et pugilem victorem, et equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera vina referre.

Poetę non ſolum imitantur metro, de quo nunc dictum ſit ſatis, ſed etiam Harmonia & Rythmo. Quod maxime faciunt, qui ad Citharam aptant carmen, vt Poetæ Lyrici. fit etiam in Tragędia in illis, quæ inter medios actus Chorus intercinit: quã de re alio loco. Fiebat olim & in vetere Comœdia. Nam

Satyra

Satyra Tragediæ similis in hoc erat. Sed de his infra. Res quidem subiectas Lyrico carmini venuste describit. quo in carmine Horatius omnibus præstat apud Latinos. vult autem intelligi Iambos, sed varijs modis temperatos, lyræ quoque fidibus conuenire. Vide in Epistola pene vltima primi libri, vbi sunt pulcherrima illa carmina,


Libera per vacuum posui vestigia princeps,
Non aliena meo pressi pede. qui sibi fidit,
Dux regit examen: Parios ego primus Iambos
Ostendi Latio. & reliqua.

Et his igitur quibus imitantur, non solum rebus quas imitantur, differunt inter se Poemata. Post metrorum genera, quibus magno iudicio distincta sunt a sapientibus Poetis diuersa rerum diuersarum Poemata, consequitur aptissime triplex character orationis, vel amplæ & magnificę, vel gracilis, & qui medius est character inter amplam & gracilem orationem. sic autem transit ad hanc doctrinam.

Descriptas seruare vices operumq́; colores
Cur ego, si nequeo ignoroq́;, Poeta salutor?
Cur nescire pudens praue, quàm discere malo?

In scientijs & doctrinis cognitio in primis requiritur, & exacta cognitio. Itaque cum Poetica multarum rerum cognitionem postulet, siquis, plerisque ignoratis, carminibus pangendis Poeta vocari velit, videat quàm id faciat impudenter. Qui ergo ignorat attributas mutationes, & varia metrorum, vt supra dixit, genera varijs rebus scribendis sapienti iudicio assignata, & simul ignorat non eodem colore & habitu orationis opera omnia scribi, sed suum cuique poemati characterem tribuendum esse, cur vult dici & salutari Poeta? Sic autem, & infra, vocat colorem Tragicum, & apud Ciceronem quoque hoc modo accipiuntur hęc vocabula, *Color & habitus orationis, Et Figura dicendi*: quæ figuræ sunt tres. Vna enim (inquit Cicero loquens de habitu, & quasi colore orationis) est oratio plena, & tamen teres, & tenuis, nec sine neruis & viribus, & ea quæ particeps vtriusque generis quadam mediocritate laudatur. Sic sua est cuique Poemati forma: alia elata ut in Tragędia: alia humilis, vt in Comœdia; media alia, vt est fabularum Satyricarum, de quibus infra dicet. Et Virgilius hanc triplicem formam expressit in Bucolicis, Georgicis, & Aeneide. Hac de re ergo sic præcipit Horatius.

Ver-



Versibus exponi Tragicis res Comica non vult:
Indignatur item priuatis, & prope socco
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.

Ornat ipse orationem suam, cum dicit *non vult, &, indignatur.* Materia igitur Comica in rebus priuatorum hominum, humili & quotidiano sermone debet exponi; at Tragica materia rerum horribilium, quæ accidunt Regibus & viris principibus, narratur oratione ampla & magnifica, ex verbis compositis, & grandibus. Poemata igitur singula quæque locum teneant sortita decenter, & conuenienter rebus, quas subiectas habent. De medio charactere dicetur, cum de fabula Satyrica.

Interdum tamen & vocem Comœdia tollit:
Iratusq́; Chremes tumido delitigat ore:
Et Tragicus plerumq́; dolet sermone pedestri.

Hæc pertinent ad decorum dicentis, vt oratio sit apta fortunæ & motibus animorum. Sic, vt alibi dicit, in Comœdia *Pater ardens sæuit, quod meretrice nepos insanit amica Filius.* Lepide vero de Tragico dicit; *dolet sermone pedestri,* quod ampla oratio, qualis est Tragica, ferri videatur quadrigis. Et Telephus igitur, & Peleus, cum in Tragedijs vterque inducitur pauper & exul, sermone pedestri dolere debent, si curant animum spectatoris commouere. ab ea enim fortuna elata oratio, & verba Tragica sunt aliena.

Pulchra sunt Poemata exornata verbis & sententiis; dulcia, cum ea dicuntur, quibus animi commouētur in partes omnes. Male mandata: est enim scriptoris peccatum, non histrionis.

Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum.

Animus rebus externis, vel lętis, vel asperis commouetur. animo igitur varie affecto varia affingenda est oratio; quam scilicet animi motus postulat. Omnis enim animi motus suum quendam a natura habet vultum, & sonum, & gestum. ergo, si dicentis erunt fortunis absona dicta, Romani tollent equites peditesque cachinnum. Iam vero, sicut apte post tres figuras dicendi, quibus res scribendæ & Poemata distinguuntur, priuatim loquentium personarũ fortunam & animorum motus spe-

ſpectandos tamen docuit, quibus fit, vt a figura dicendi, propria Poematis diſcedere oporteat; ita nunc huic doctrinę de oratione congruente cum fortuna perſonæ & motibus animorum aptiſsime ſubijcit, quæ ſeparatim ſpectare deceat in Comicis perſonis, vt cuiuſque perſonæ decorum ſeruetur. qua de re ſic præcipit.

Intererit multum Dauus ne loquatur, Eroſne,
Maturus ne ſenex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus; an matrona potens, an ſedula nutrix;
Mercator ne vagus, cultor ne virentis agelli;
Colchus, an Aſſyricus; Thebis nutritus, an Argis.

Optime Lambinus, vir præſtans doctrina & iudicio, de Dauo & Erote, differentibus moribus & natura ſeruis. Et ſeruorum igitur ingenia ſpectanda ſunt, ſint ne, vti Dauus apud Terentium, veteratores, & fallaces; an ſimplices & frugi, vti Eros inducitur apud aliquem Poetam, cuius ea non extat fabula. Spectanda ætas, gradus, & condicio, ſpectandum vitæ ſtudium, ſpectanda prouincia, & patria. eſt enim incredibile hæc ſingula quantum afferant in moribus diſcrimen. at oratio perſonarum moribus accommodanda eſt. Hæc autem prudentia decori pręcipue requiritur in poetis. Itaq; pergit dicere & de perſonis Tragicis.

Aut famam ſequere, aut ſibi conuenientia finge
Scriptor. Honoratum ſi forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget ſibi nata, nihil non arroget armis,
Sit Medea ferox, inuictaque: flebilis Ino;
Perfidus Ixion: Io vaga, triſtis Oreſtes.

Quod pręcipitur eſt de perſona principe in fabula Tragica. Aut igitur hæc perſona nota eſt, vt Achilles per Homerum; aut ignota, quam ad arbitrium ſuum effingere poteſt Poeta. Si nota eſt, famam (inquit) ſequere, ſicut in his quorum ponit exempla; ſi ignota & efficta a te, & noua: hoc enim eſt,

Siquid inexpertum ſcenæ committis, & audes
Perſonam formare nouam, finge in ea ſibi conuenientia, ita vt ſibi ab incœpto ad imum conſtet, & inæqualitas ratioque morum inconſtans fugiatur.

Difficile eſt proprie communia dicere, tuq;
Rectius Iliacum carmen deducis in actus

Quam

Quàm si proferres ignota indictaq; primus,

Hæc pertinere ad superiorem distinctionem de persona principe Tragica, vel nota, vel noua, nemo dubitare potest. Sic igitur inquit facilius esse ex persona & re, quam tractarit Homerus, componere Tragędiam, quòd non tam facile a recto possit aberrari, quàm ipsum primum afferre in scenam ignota & indicta, in quibus, vt omnia sibi cōueniant, & constent, permagna opus est cautione & prudentia: atque, vt fabula talis sit, quę ab alio melius concinnari non possit. Sic enim communia, idest indicta ore alio, quæ quilibet potest arripere, proprie dicuntur, idest fiunt dicendo eius propria, qui ipsa suopte ingenio inuenit & scripsit. loquitur autem de compositione fabulæ, quæ ad personam Tragicam nouam referatur, a qua persona Tragica noua parare volebat apposite transitum ad Epicam fabulam, quæ noua est necessario semper, propter Episodia, vt initio diximus, & nunc aperte intelligetur: cuius compositio est omnium difficillima, & doctum, ac ingenio præstantem Poetam desiderat. Initio monuit in confingendis Episodijs, vt talia scriptor comminisceretur, ex quibus in vnum corpus apte cōstrictis vna simplexq; fabula efficeretur: nunc docet quibus rebus virtus Epicę materiæ contineatur. Nam ex illo verbo *et audes personam formare nouam,* cū apte subiecisset quasi significans cur audes, dixisset, *Difficile est proprie communia dicere*, quoniam verbum *communia*, sic vniuerse dictum, omnem inuentionem scriptoris excogitatam ingenio comprehendebat, & de Tragica persona iam satis erat dictum, nunc de fabula & materia Epica, quæ vna semper, & proprie dicitur & est noua, sic pręcipit:

Publica materies priuati iuris erit, si
Non circa vilem patulumq; moraberis orbem,
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres: nec desilies imitator in arctum,
Vnde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex:
Nec sic incipies, vt scriptor Cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes: nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte?

Dic

Dic mihi Musa virum, captæ post tempora Troiæ
Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat: vt speciosa dehinc miracula promat,
Antiphatem, Scyllamq;, & cum Cyclope Charybdim.
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.
Semper ad euentum festinat: & in medias res
Non secus, ac notas, auditorem rapit: &, quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet:
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Sicut principium huius Methodi non est animaduersum, vt monuimus, ea continere, quæ pertinerent ad Epicam fabulã, quæ constaret ex Episodijs excogitatis ingenio Poetæ, sic in his carminibus non est intellectum ea tractari, in quibus maxime virtus Epici Poematis, & laus Epici Poetæ cernitur. & hic quoque tamen erant, quæ nos attentos in hanc coniecturam ducerent. Nam præterquam quòd illud, *Nec sic incipies*, a quo carmine deinceps omnia pertinent aperte ad Epicum Poetam, monere debebat, etiam antecedentia quinque carmina ad idem pertinere, hæc prima verba *publica materies* post doctrinam de Tragica persona noua, cognita natura Epicæ fabulæ, quam de viris & rebus magnis semper nouam esse oportet propter Episodia, ex quibus, vt nunc videbimus, præcipue constat Epicum Poema, monere ipsa quoque debuerunt publicam materiam & communem, idest argumentum fabulæ, a nemine acceptum, sed ab ipso Poeta inuentum, proprijssime dici de materia Epica. Nam Commune, cui Proprium opponitur, & Publicum, cui Priuatum ius opponit, ad idem significandum accipit Horatius, docturus qua ratione materies Epica, quasi res omnium vsui exposita, effici propria scribentis possit, & res ipsius priuata; vt scilicet ita componatur & tractetur, vt melius nemo possit, nec cuiquam plane relinquatur locus eius possessionis inuadendæ. Nullus autem artifex est, cui tam accurata proprij operis perfectio proposita sit, quàm Poetæ operis sui: in quo Poeta, ut videbimus, mediocritas minime tolerabilis est. Videamus igitur, ex quibus maxime possit Epicus Poeta laudari, Horatio docente, & quæ docet Homeri exem-

ploconfirmante; qui Homerus, Aristotele teste, omnia optime fecit.

Si non circa vilem patulumq́; moraberis orbem.

Hoc primum est, in quo præcipue elaborandum est ab Epico Poeta, vt, orbe vili patuloque contempto, in alijs enarrandis immoretur, & Poema contexat. Quem autem vocet Horatius orbem vilem & patulum, nos primi vt putamus, inuenimus ex Poetica Aristotelis, & ex loco primi libri posteriorum Analyticorum, & ex loco in Elenchis. De his duobus locis diximus in Commentarijs nostris in Analytica: quæ loca nemo antea videtur intellexisse. In altero autem loco dicit Homeri Poesim esse σχῆμα, quoniam videlicet sit κύκλος; in altero dicit τὰ ἔπη κύκλον esse, est autem ἔπος etiam apud Latinos carmen Epicum: & τὰ ἔπη sunt Poemata Epica. In Poetica vero, postquam monuit Aristoteles in Tragœdia breuia esse debere Episodia; contra in Epopæia longiora, & ipsis fabulam Epicam produci, breuiter subijcit Odysseam ex duobus compositam, quorum alterum vocat eius Poematis proprium, alterum Episodia. Ac proprium quidem dicit esse idem fere, quod infra ponit Horatius, Virum quendam, qui captæ post tempora Troiæ, multos annos errãs, multorũ hominũ mores vidit & vrbes, & a Neptuno obseruatus, & omnibus amissis in Patriam tandem delatus, ignotus, & pauper, & domi offendens vxoris procos, ipsius facultates absumentes, & filio insidiantes, illis interemptis ipsum sospitem euasisse. Hoc fere proprium est illius Poematis: cætera, inquit, sunt Episodia, quæ infra vocat Horatius speciosa miracula, Antiphatem, Scyllamque & cum Cyclope Charybdim: cum quibus sunt multa alia vt Circe, Calypso, Phæaces, & alia inuenta ab ipso Poeta, in quibus laus omnis sita est illius Poematis. Quod igitur vocat Aristoteles proprium Poematis, nec adscitum aliunde, sed propriam rei propositæ continens historiam, id vocat Horatius orbem vilem & patulum; in quo enarrando non immoratur Epicus Poeta, sed obiter illud, occasione aliqua oblata, & breuiter exponit; in ipsis vero Episodijs a se inuentis magnifice enarrandis totus versatur: ex quibus etiam arte distributis, & connexis ipsum Poema videtur præcipue compositum esse. Constat ergo Epicum Poema ex duobus, nempe ex veris & fictis: quæ vera sunt, pau-

ca,

ea, & fere nullam habent in Poemate dignitatem: vniuersa dignitas & amplitudo est in rebus fictis, quæ vocantur Episodia. Recta vero utrorumq; compositio, & coagmentatio ita se habet, vt vera sint veluti extremus circulus, & orbis quidam, cuius intimam inanitatem repleri oporteat rebus fictis & Episodiis, ita tamen tum inter se conuenientibus, tum cum veris, vt ex omnibus aptissime distributis vnum efficiatur corpus. Hoc modo se habet Epicum Poema, & hic est circulus, & orbis Epicus. De quo sunt illa verba in posteriorib. Analyticis: An non τὰ ἔπη idest Epica Poemata, sunt circulus? & in Elenchis, Poesim Homericam esse circulum. Nam apud Aristotelem pro toto Poemate accipitur orbis Epicus, quoniam orbe historico contineantur Episodia, in ipso summo artificio ita inclusa, vt vnum & simplex corpus videatur, ex ipsis compositum Episodiis. Apud Horatium vero, qui docet in quo sita sit laus Epici Poetæ in Epica fabula componenda & tractanda, orbis Epicus est extimus circulus historicus, continens quod verum est fabulæ tractandę: quem vilem appellat, ut nullam obtinentem [habentem] dignitatem in Epico Poemate; & patulum, ut inanitatem Episodiis arte replendam: in quibus Episodiis, & rebus apte & prudenter fictis uirtus & laus vniuersa Epici Poematis consistit. Ex his enim scriptor laudem & nomen Poetę nanciscitur: quod nomē amittit, si in orbe tantum historico immoretur, ut ille qui sic incœpit, *Fortunam Priami cantabo & nobile bellum:* de quo paulo post. Hoc artificium Epicæ fabulæ componendę & tractandę non solum in Homeri Vlysse, & Achille irato, sed etiam in Enea Virgilij nostri licet intueri. Nam cum sumpsisset Virgilius dicēdum uirum, Troię qui primus ab oris, Italiam fato profugus, Lauinaque uenit littora, multum ille & terris iactatus & alto, multa quoque & bello passus dum conderet vrbem; orbem historicum errandi usque ad annum, quo peruenit in Italiam, obiter & breuiter exponit in tertio libro, multis etiam admixtis, quibus ornat illam narrationem. At primus liber, secundus, quartus, quintus, sextus continent Episodia illustria eiusdem uiri tempestate delati in Africam ad Didonem, unde est narratio excidii rerum Troianarum, & nobilis Tragœdia Didonis sibi mortem cōsciscentis, & reditus in Siciliā, ubi fiunt ludi ad Tumulum Anchisę, & inopinatus contingit euentus exustarum nauium: cum quibus Episodiis, delato tandem Aenea in Italiam, adiungitur Sybilla, & iter ad

inferos cum expositione rerum pulcherrimarum. Sic in bello administrando, & condenda Vrbe totum ferè constat ex Episodiis, quibus Lauiniæ coniugis matrimonium quasi ornatur, id quod ad ueritatem historicam pertinebat. Voluit autem Virgilius, in vno Enea prudentiam & fortitudinem diuinam celebrans, Odyssea & Iliados vno simul opere uirtutes effingere. Et, sicut apud Græcos solus Homerus & intellexit, & auctor fuit Epicæ fabulæ recte componendæ, sic unus Virgilius apud Latinos ipsam egregie expressit, & imitatus est. Ex his puto satis intelligi id quod hactenus (quod sciam) nemo non modo intellexit, sed ne suspicione quidem uidetur attigisse; Quid sit non morari circa uilem & patulum orbem. quod Horatius declarare uoluit etiam altera sententia, ad idem significandum adiecta, *Nec verbum verbo curabis reddere fidus interpres*, idest nec tanquam fidus interpres & legatus, qui nullum uerbum immutat eius, quod sibi mandatum est ut denunciet, sic tu nihil discedas a fide historica, nihil ipse cōminiscēs, sed hærens tātū in orbe uili ipsius historiæ, in eo lāguescas; sed, eo contempto, ad Episodia inuenienda te conuertes. Oportet ergo, si, quod scribendum, ut Poeta, suscepisti, cum laude scribere uis, orbe contempto uili, te conuertas ad Episodia comminiscenda, quibus prudenter & apte ipsum orbem patulum repleas, desque operam, ut omnia sic inter se cohæreant, ut in unum corpus pulchrum & aspectabile coalescant, quemadmodum in huius Methodi initio prædictum fuit. in his enim Episodijs inueniendis, & apte constituendis, & tractandis omnis Epici Poetæ laus posita est. His ita ad sententiæ Horatianæ & rei ueritatem, ut putamus, expositis, pergamus ad reliqua.

Nec desilies imitator in arctum,
Vnde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.

Poesis est imitatio rerum, actionum, & animi motionum; & uerbum ποιεῖν est effingere, & imitari. Hinc Poeta est, non qui metro quidlibet, sed qui ficta & fabulas scribit. Imitatur autem Poeta actiones, & mores uel magnorum, ut in Tragœdia & Epopæia; uel humilium, ut in Comœdia: & non solum imitatur honesta, sed etiam turpia. Cum igitur Epicus Poeta suscipiat scribenda bella, & res gestas Regum, & principum uirorum,

& Epici carminis maiestas sit amplissima; duo monet cauenda Epico Poetæ, vt nihil dicere conetur, quod vel turpe sit & abhorreat a rerum dignitate, quæ scribuntur, vel eiusmodi sit quod splendida & magnifica oratione explicari non possit. abiectam enim orationem repudiat Epici carminis maiestas, atque illud pudor; hoc operis lex vetat. Vocat Desilire in arctum imitatione, demittere se ad imitandum oratione in locum angustum, & rem, vnde vel pudor, obscæna refugiens, vel lex operis, inornata & laude carentia repudians vetet te cum laude pedem efferre. Sic Virgilius rem turpem satis habuit verecunde significare, cum dixit, *Speluncam Dido, Dux & Troianus eandem deueniunt*. sic in multis imitandis & transferendis ex Homero, de quibus longum est sigillatim dicere, ea tantum delegit & expressit, quæ dici splendide poterant. Nam Latini non omnia possunt oratione imitari æque feliciter, quæ Græci, quibus dedit ore rotundo Musa loqui.

Nec sic incipies, vt scriptor Cyclicus olim,
Fortunam Priami cantabo & nobile bellum.

Scriptorem Cyclicum vocat in solo κύκλῳ, & orbe vili historico morantem, nihil ipsum a se inuentum afferentem, sed qui bellum Troianum, vt historicus, carmine scripserat.

κύκλῳ

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Epicus Poeta, vt diximus, est promissi carminis auctor. nam statim quid sit dicturus profitetur. Reprehendit autem Horatius in hoc principio scriptoris Cyclici, & immorantis in orbe non inflatum verbis turgidis carmen & numerum, sed nimis amplum & magnificum promissum. qui.n. magna pollicentur, quasi hiante maxime ore profari, quod promittunt, videntur. Sic docet Horatius ex Homero cuiusmodi esse deceat Epici Poematis principium, proposito Odysseæ principio. In principio quoq; Iliadis ostendit Homerus se velle canere iram Achillis, non bella & pugnas. Ex quo fortasse reprehendendum quis Virgilium duxerit, qui sic profiteatur: *At nunc horrentia Martis Arma*. Sed cum vellet ostendere triplicem differentem materiam, triplici charactere distinctam, se tractasse, necessario post lusus pastorum, & agri colendi rationem intulit materiam

teriam Epicam, horrentia Martis arma,& tristia bella,& verbo *horrentia,* vsus est,vt grādiorem simul efficeret orationem: verū Homerū imitando statim pergit dicere : *Virumq; cano*. & *que* coniunctio, pro idest, accipienda est, vt sit: at nunc horrentia Martis arma, idest, Virum cano, qui primus ; & reliqua. est autem magna laus multo maiora præstare, quam promiseris ; & contra, turpe.

Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte.

Sic Aristoteles quoque Homerum laudat, auctorem optimum Epicæ fabulæ. Confirmat igitur hæc monita quę dedit Epico Poetę Homeri auctoritate, qui bene fecit omnia. nam & sic incœpit.

Dic mihi Musa virum, capta post tempora Troia
Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.

Propositio fere continet quod pertinet ad orbem historicum. at promisso tenui speciosa miracula promit ;

Antiphatem Scyllamq; & cum Cyclope Charybdim.

His autem significat episodia, in quibus laus omnis Epicæ fabulæ consistit, quam Homerus optime vidit quomodo facienda esset vna, cum omnia retulit ad actionem vnam vnius personæ, quæ persona & simplex actio proponitur, vt orbis quidam & circulus, postea replendus rerum miraculis, apte insertis & dispositis intra circulum, ita vt videantur corpus vnum.

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri.

Ostendit Aristoteles, qui scripserunt Heracleida, vel Theseidem non vidisse, fabula quomodo fieret vna. Putarunt enim vnam esse, si persona vna scriberetur. verum & qui suscipit actionem vnam scribendam, vt reditum Vlyssis, id quod fecit Homerus, & Diomedis, quod fecisse dicitur Antimachus, non debet ex longe petito personæ vel rei principio fabulam contexere: nam & sic facit fabulam non vnam, sed multas & diuersas.

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.

In hoc vero contexendo opere incredibilem ostendit Homerus

rus prudentiam. Non solum enim non orditur ab oui Ledæi fabulā, vt ait Horatius, sed nec totum bellum decēnale scribendum suscipit: vltima belli aggreditur, annum Hectoreæ mortis: nec bellum promittit se scripturum, sed iram Achillis: ad quam vnicam actionem contexens Episodia, & Deorum dissidia, & legationes, & mirificas pugnas, vnum efficit ex omnibus corpus, & aspectabile. Quamquam enim longum opus est Epicum Poema; non debet tamen immensum esse.

Semper ad euentum festinat.

Arripit enim vltima, vt antea dictum est, de ordine Poematis Epici; & id facit, quasi auditor habeat quæ antecesserunt perspecta. omnia tamen eum ordinem tenent, ut non videantur aliter debuisse ordinari.

et quæ
Desperat tractata nitescere posse relinquit.
Hæc prudentia pertinet ad illud quod supra monuit.
Nec desilies imitator in arctum
Unde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.

Nihil ergo dicit Homerus, nisi quod splendide, & ex dignitate suscepti operis scribi possit.

Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Hoc pertinet ad Episodia, quibus orbis vilis & patulus replendus est. sic enim veluti compacta & constricta cum ueris ficta & falsa esse oportet, ut corpus vnum integrum efficiant, quod principium, medium, extremum sic habeat, vt inter se membra omnia mirabiliter consentiant, nec mutari quicquam possit, nisi perturbetur totum, nec auferri, vt integrum esse non desinat.

Hactenus de orbe Epico, & materia fabulaque epica componenda, distribuenda, tractanda, & scribenda. quæ breuiter quidem attigit Horatius; sed ex Homero, quem proposuit ut egregium omnium exemplar, existimauit omnia intelligi facile posse ab his, qui ijs audiendis idonei essent. Scribit enim his qui harum rerum non sint prorsus imperiti, quique in Poetis versati sint. De fabula ergo Epica, quamuis docti viri ali-

ter sensisse videantur, ea præcipit Horatius, Homero locupletissimo auctore proposito, quæ vniuersam eius fabulę recte scribendæ rationem contineant. Redit ergo ad ea, quæ restant de reliquis fabulis.

Tu quid ego, & populus mecum desideret, audi.

Quæ in scenis aguntur, non solum iudicantur a uiris doctis, sed etiam a populo, cui satisfaciendum in primis est, ne fabula exigatur. Quid igitur illud sit, quo potissimum fabula Comica placere possit, ostendere vult.

Si plausoris eges aulaa manentis: Qui expectet donec aperiatur scena, sublatis aulæis quibus obtendebatur, & aueat audire Comicam fabulam, & in ea audienda deinde perseueret vsque in finem, hoc præcipue obseruandum est in componenda fabula:

Aetatis cuiusq; notandi sunt tibi mores,
Mobilibusq; decor naturis dandus & annis.

Ex illis, quæ præcepit obseruanda in personis Comicis, seligit quod maximum omnium pondus habet, ut decenter effingantur mores ætatum ipsa oratione, quam singulis attribuimus. Hac de re etiam infra, vbi ait: *Respicere exemplar vita morumque iubebo Doctum imitatorem.* In Comœdia vero inducitur omnis ætas. Itaque in personis priuatis, & liberis & seruis, in vtroque sexu in Comœdijs effingitur imago vitæ quotidianæ. Oportet igitur Comœdiam esse bene moratam, in quo existit præcipue laus fabulæ Comicæ. Videntur autem in his describendis ętatum moribus etiam ab Aristotele multa deprompta esse ex secundo Rhetoricorum, & etiam ex libris Ethicorum. Sunt hæc carmina pulcherrima, & habet hæc descriptio iucunditatem, apte interpositam in docendo. Post hæc transit ad Tragœdiam, de cuius persona principe, siue nota siue noua, satis antea dictum est.

Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.

Tragœdia proponit res miras, & incredibiles, & fœda facta & atrocia. Præcipit igitur quæ sub aspectum in scenam producere, quæ non deceat producere, nec agi coram spectatoribus. Sunt autem eiusmodi rerum exemplis Græcorum plenę

Tra-

tragœdiæ, cum per eloquentiam præsentis nuntij sic ea gesta esse spectatoribus narrant, vt pene coram geri videantur. Cuiusmodi vero sint hæc, ipse exemplis declarat.

Neue minor quinto neu sit productior actu
Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi.

Præceptum commune est fabulis scenicis, vt Actibus distinguantur. Porrò, cum omnis fabula constet principio, medio, & fine, & Epica, quæ longior cæteris est, nec certis veluti finibus terminata; sit tamen tanta oportet, quæ apta partium distributione, veluti perfectum quoddam animal vno quasi obtutu perspici possit, & animo comprehendi; tanto magis fabula, quę agenda prodit in scenam, commoda longitudine aspectabilis esse debet. Cuius actionem vnam Aristoteles vna Solis conuersione terminari præcipit. Eam vero longitudinem ex lectione poetarũ debere distribui in quinque Actus Horatius præcipit. Quam.n. vnam actionem suscipit fabula scenica vna Solis circumactione terminandam, eam posse cõmode, si recte distributa sit, peragi, ijs, ad quas res pertinet, personis non amplius, quam quinquies, in scenam prodeuntibus animaduertit: in tragœdijs autem, vt nunc ostẽdet, Chorus fere aliquid cõcinendo, quod proposito conducat, distinguit actus Tragicæ fabulę.

Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit.

Ad Deos poetæ confugiunt, cum explicare argumenti exitum non possunt, inquit Cicero. Tragici vero poetę loquentẽ Deum exhibent in scena, ipsum quidem non uisibilem, sed præsentiam uoce testante suam, adhibita machina in scena, per quam vox egressa quasi ex tuba maior humana uoce sentiretur: sicut adhibetur Minerua in Sophoclis Aiace, colloquens cum Vlysse, & de Aiacis insania illa explicans, quę aliter ab homine sciri non poterant. Ad hanc igitur Machinam non esse confugiendum Horatius docet, nisi dignus uindice nodus inciderit, qui dissolui nisi ope diuina possit.

Nec quarta loqui persona laboret.

Si quatuor personę, re sic postulante, sint in scena, vt confusio vitetur, quarta sit admodum parca in loquendo.

Actoris partes Chorus, officiumque virile
Defendat, neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat, & hæreat apte.

Duas partes sustinet Chorus in Tragędijs, & duo munera obit.est.n & unus ex actoribus, singularisque persona totius corporis Hypocritarum, & histrionum, & intercinendo inter actum, & actum, modulationibus, & rhythmis delectat spectatores. Quod igitur pertinet ad utrunque munus, docet Horatius, quid Choris conueniat. Nam quatenus carmine delectat, oportet carmē illud sententias, & materiam contineat, quę rei, quæ agitur, accommodata sit, & hæreat apte. quatenus autem sustinet actoris personam, non ei tribuitur, vt agat partem aliquam fabulæ, sicut fabulę partes distributæ sunt cęteris personis; sed eius officium est, inquit Aristoteles, συναγωνίζεσθαι, non quomodo inducit Chorum Euripides, sed quomodo inducitur optime à Sophocle. quod quale sit, hic pręclare significat Horatius, cum dicit, *officium uirile defendat*, idest uiri fortis, & boni partes sustineat; quod singillatim explicat postea, cum dicit:

Ille bonis faueat, & consilietur amice,
Et regat iratos, & amet peccare timentes.
Ille dapes laudet mensæ breuis ille salubrem
Iustitiam, legesque, & apertis otia portis.
Ille tegat commissa, Deosque precetur, & oret,
Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Hæc omnia sunt officia viri boni, cuius partes tueri Chorus debet, cum actoris partes obit.

Tibia non vt nunc orichalco iuncta, tubæque
Aemula.

Recte post Chorum intercinentem inter actus agit de Tibia, & fidibus, quę adhibebantur ad cantum: imitatur.n.poesis Tragica, & scenica non solum metro, sed cātu, modulatione, & etiam Rhythmo: siquidem ad cantum accedebat & motus. vult autem ostendere id quod ferè cōtingit rebus in omnibus, vt rerum principia sint tenuia, quę ab hominum ingenijs successu temporum augeantur postea, & ad summum perducantur. Sic creuit Tragędia, & quę pertinent ad Tragędiā à tenuibus principijs.aucta.n.sunt omnia mirifice, Res musica, & vocum, & instrumentorum musicorum apparatus,

Vestis,

Vestis, elegantia, & copia scribendi, & oratio illustris grauitate sententiarum.

Carmine qui tragico uilem certauit ob Hircum,
Mox etiam agrestes Satyros nudauit, & asper
Incolumi grauitate iocum tentauit, eo quòd
Illecebris erat, & grata nouitate morandus
Spectator, functusque sacris, & potus, & exlex.

Hęc est Quarta fabula, quę Satyra uocatur. Et miror viros doctos existimasse hic agi de Satyris inducendis inter actus Tragędiarum, ut. n. demus fieri initio potuisse, vt Satyri miscerentur hoc modo cum Tragędijs, quod tamen nec uideo vnde id probent, nec id Horatius dicit; nihil certe erat, cur nunc de his sic inducendis inter actus Tragędiarum quicquã præciperet Horatius, cum Tragędia ad summum decus perducta eiusmodi iocos, & nugas omnino respueret, nec quisquam omnino probare possit hoc tunc factitatum fuisse. Tractat ergo, & docet, quomodo scribẽda sit hęc fabula, & instruit scriptorem Satyricę fabulæ, sicut antea fecit de alijs tribus fabulis. Primum autem originem ostendit; deinde quo charactere, & orationis stylo iudicet ipsam esse scribendam, vt differat a Tragędia, & Comędia; tum dicet & de personarum decoro. Si quis vero cupit eiusmodi fabulę compositionem videre, legat Cyclopem, Satyram interiectam inter Tragędias Euripidis, qui facit Silenum cum Satyris seruientem Poliphemo, Cyclopi Aetnęo in Sicilia, quo tempore illuc Vlysses delatus est. *Ob hircum uilem*. qui initio fuit pręmium agentis Tragœdiã, cum, vt modo dixit, indoctus rusticus, Vrbano confusus fabulas spectaret, & paruo spectante populo ageretur fabula. *Mox etiam agrestes Satyros nudauit.*) non miscuit cum Tragica fabula; sed mox, & post Tragędiam peractam, aliam fabulam ex Satyris nudis egit, & in scenam adduxit. fuit ergo, qui Tragędiam scripsit initio, etiam auctor Satyrę.
Et asper incolumi grauitate iocum tentauit.

Est. n. Satyra fabulę genus iocosum. in quo tractando quoniam cum Satyris, qui finguntur natura dicaces, inducuntur personę tragicæ, vt in Cyclope Vlysses, ita moderanda erat asperitas dicacitatis, vt etiam personarum grauium decorum seruaretur. sed de hoc paulò post. *eo quod illecebris erat* ex qua

causa orta sit Satyra, & scripta ab auctore Tragicę fabulę. vt post Tragędiam, quę argumento tristi constabat, animus spectantis aspectu iocoso, & grata nouitate exhilararetur. Quod vero dicit. *Functusque sacris*, non male hinc argumentantur Tragędiam, Satyram, Comędiam incœpisse à rebus diuinis.

Verum ita risores, ita commendare dicaces
Conueniet Satyros, ita vertere seria ludo.

Vult ostēdere, quo charactere, & stylo scribenda sit Satyra, quę & est iocosa ob dicacitatem Satyrorum, & constat etiam ex personis Tragicis; & cum ageretur post Tragędiam quę erat de rebus magnis, & grauibus, perinde id fiebat, ac si quis mutaret seria ludo. Vnde igitur commendabitur scriptor Satyrorum?

Ne quicunque Deus, quicunque adhibebitur Heros,
Regali conspectus in auro nuper, & ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas.

Humilitas, & tenuitas sermonis Comici non conuenit Satyræ: in qua & Dij, vt Silenus, & Heroicę, tragicæque personæ inducuntur, vt Vlysses ante conspectus in ostro in Aiace Tragœdia, & postea ponto multum iactatus in Cyclope.

Aut dum uitat humum, nubes, & inania captet.

Rursus grandis, & elata oratio tragica non conuenit Satyrę. alia est.n. conditio Vlysis, cum est apud Ilium vir magnus, & Princeps inter Principes viros; alia, cum varijs tempestatibus actus peruenit ad Cyclopas Atneos.

Effutire leues indigna Tragœdia versus,
Vt festis Matrona moueri iussa diebus,
Intererit Satyris paulum pudibunda proteruis.

Sensus horum carminum est: Tragicę personę sic interesse debent in Satyra, & cum Satyris ita sermones serere, vt non abijciant omnem prorsus suæ dignitatis grauitatem, sicut Matrona, iussa saltare festis diebus, nō more uilium fœminarum corpus agitat, sed uerecunde mouetur. est igitur habenda nōnulla ratio dignitatis personarum, & sermo ipsis tribuendus qui conueniat. qualis uero esse debeat, nunc dicet:

Non ego inornata, & dominantia nomina solum

Verba-

Verbaque Pisones Satyrorum scriptor amabo.

Coactiora sunt omnia, quæ hic dicuntur ab his, qui existimant hæc pręcipi de Satyris interiectis inter actus Tragędiarum, cum sint de Satyra, fabula distincta ab alijs tribus, & genere personarum Satyricarum, quanquam esset mixta, & Tragica aliqua persona, vt in Cyclope adhibetur Vlysses, a quo ex Homero sumpta est fabula; & metro: vtebatur.n. Satyra tetrametro potius, magis accommodato saltationi Satyrorum, & Cylcopis; cum Tragœdia, & Comœdia magis uterentur trimetro. Sed eam distinguit Horatius etiam Charactere. cum vero tenuis character sit Comœdiæ, & elatus Tragœdię, cur neuter conueniat personis Satyricis, in quibus adhibentur, & Dij, & Heroes, iam dixit. Quid ergo faciendum est? non vtar, inquit, his, quibus vtitur Tragœdia. quæ uero illa sint, supra significauit, cum dixit, *Proÿcit Ampullas, & sesquipedalia verba.* cuiusmodi nomina, & uerba longitudine amplitudineque præstantia propria Tragicę orationis, nunc uocat inornata: nã verbi ornamentum proprie positum est in tropo, in quo tropo obtinet primas Metaphora: in verbis autem ampullatis, & sesquipedalibus tumor tantum est, & longitudo inflata. Itaq; recte & ~~recte~~ uocantur etiam dominantia, quasi regnum quoddam obtineant inter alia sua magnitudine, & amplitudine. nõ vtar ergo, inquit, stylo tragico.

Nec sic enitar tragico differre colori,
Vt nihil intersit, Dauus ne loquatur, & audax
Pythias, emuncto lucrata simone talentum;
An custos famulusque Dei Silenus alumni:

Nec item me deijciam ad humilitatem sermonis Comici. vidimus antea, cum loqueretur de forma, & habitu orationis, usum esse vocabulo coloris, vt nemini dubium esse posit, hic tractari de charactere, qui Satyrę conueniat.

Ex noto fictum carmen sequar.

Cum tam aperte ostendat se quærere, qu stylus orationis conueniat Satyræ, & reiecerit grandiloquẽtiam Tragicam, & humilitatem Comicam, quam aliam, quęso, sentẽtiam his verbis subiectam iure quis existimet, nisi quę significet orationis formam congruentem Satyrę? Cum vero inter elatam, & humilem orationem vna sit media interiecta, hanc ostendit esse propriam Satyrę. Sed media ipsa, vt quisque potest ex Cicerone didicisse, tropis omnibus potissimum temperata est.

itaque

itaque & Virgilius sic ornauit Georgicorum opus. His ergo verbis, sicut antea, cum dixit: *notum si callida uerbum Reddiderit iunctura nouum*, significatur Metaphora, quæ prima est, & excellit maxime inter tropos. callida. n. iunctura uerbi translati reddit carmen, & orationem, ex qua constat carmen, vt modo fictam, & nouam ex uerbo prius noto, cum uersaretur in communi loquendi consuetudine.

Vt sibi quiuis speret idem.

Oratio prudenter, & apte translatis distincta luminibus, vt mirifice delectat, sic uidetur etiam res, quam possit quiuis facile imitari, & efficere: verum si quis idem conetur, rem esse magni laboris experietur. itaque Virgilius sic inquit, id expertus de opere Georgicorum.

Nec sum animi dubius uerbis ea uincere magnum
Quàm sit, & angustis hunc addere rebus honorem.

Ergo recte sequitur:

Sudet multum, frustraque laboret
Ausus idem. tantum series iuncturaq́, pollet,
Tantum de medio sumptis accedit honoris.

Diximus antea de his uerbis, *series, et iunctura*, quam apte id significent, quod fit in uerbo transferendo, cum e suis ueluti migrans ad aliena traducitur appositum, & iunctum uerbo, apud quod verbum est tanquam hospes. Cum uero, vt inquit Aristoteles, non sit cuiusuis, tropis, & alijs ornamẽtis recte vti, & decenter, tum uero maximum, & difficillimum esse affirmat transferre, idque ad ingenij præstantiam pertinere, & ad doctrinam. non. n id recte faciat, qui non possit recte de simili philosophari. Vis igitur magna, & splendor magnus est in verbo recte translato, sumpto de medio, id est de communi loquendi vsu: nec cuiusuis est recte transferre, & plurimum laboris est in carminibus, quæ ad mediam formam pertinent, hoc tropo decenter illuminandis.

Syluis deducti caueant, me iudice, Fauni,
Ne velut innati triuijs, ac pene forenses,
Aut nimium teneris iuuenentur versibus unquam,
Aut immunda crepent ignominiosaque dicta.
Offenduntur. n. quibus est equus, & Pater, & res:
Nec si quid fricti ciceris probat, aut nucis emptor,
Aequis accipiunt animis, donantvè corona.

Carminis tenuitas, & mollitudo posita est in numero leni: sic

ſic laudat Horatius numerum Virgilij in carminibus de re ruſtica,cum dicit:

Molle atque facetum
Virgilio annuerant gaudentes rure Camœnæ.

Nam facetum pertinet ad orationem,metaphoris venuſtis lætam atque ridentem. Quod igitur pręcipit Horatius,ad numerum pertinet,& ad uerecundiam:quorum duorum ratio ſumpta eſt ab illis primis verbis,*Syluis deducti*. Nam cum Fauni, & Satyri in ſyluis nati ſint, & vixerint, minime illos deceat carmen molle nimium,omni prorſus numerorũ aſperitate ſublata. hoc.n.eſt artis. itaque viderētur innati in Ciuitate,vbi uigent artes;non in ſyluis, vbi nihil artificioſum. Tēperetur igitur numerus, vt non abhorreat aliqua ſaltem ex parte ab ipſorum natiuitate, & vita. Quoniam autem & inuerecundi natura finguntur Satyri, propter honeſtatem ſpectatorum,a quibus probari debent,caueant,inquit, ab obſcænitate verborum, quæ, vt placere poſsit vili plebeculæ, honeſtos certe viros, & ingenuos plurimum offendit.

Hactenus expoſita ſunt,q̃ ſunt præcipua ſuſceptæ Methodi de Poetica:quæ cũ ſit imitatio, exprimēs hoīum vitā fictis fabulis,certas habet ſpecies fabularũ quatuor;& sūt fabula Epica,Tragica,Comica,Satyrica. De ſingulis tractauit, ac primũ de conſtitutione Epicæ fabulæ, quę eſt omnium difficillima, quoniam conſtat ex multis Epiſodijs, ingenio poetæ excogitatis. Itaque,quod commune eſt omni fabulæ vt ſit vna,hoc præcipue elaborandum eſſe docuit in ea fabula, in qua facilius peccari poſſet. Quod vero pertinet ad uniuerſam compoſitionem Epicę fabulæ, quę cōſtat ex ueris,& falſis, Homerum propoſuit auctorem optimũ, a quo diſcere licet, & quæ ſit virtus orbis Epici, & quomodo ſingula talia eſſe oporteat, quæ in corpus vnum pulcherrimum coaleſcant, ita vt primo ne medium, medio ne diſcrepet imum; tum quo ſint diſtribuenda ordine; cuiuſmodi eſſe deceat carminis principium; quo metro,qua carminis amplitudine, & maieſtate, qua elegantia orationis, qua prudentia ſcribendum ſit Epicum Poema, perfectum omnium magiſtrum eſſe docuit Homerum. Cum eo,quod in fabula maxime poſtulatur vt ſit vna, docuit breuiter,& de ordine,& de elocutione.Non.n.idem eſt ordo diſponendę fabulæ,& hiſtoriæ. quod vero pertinet ad elocutionem, quanquam nō idem cultus eſt orationis in omnibus fabulis;

fabulis; oratio tamen Poetica communiter hoc requirit, vt sit in suo genere excellens; Tragica vero, & Epica pręcipue talis est, vt poetæ videantur a iena locuti lingua. De cultu carminis egregio erit & alius dicendi locus. Sicut fecit de fabula Epica, sic tractauit de Comica, & Tragica, quomodo differant materia, oratione, & stylo; quomodo seruandum sit decorum in fortuna personarum Tragicarum mutata; quomodo idem faciendum in varietate personarum Comicarum; quid seruādum in Principe persona Tragędiæ, siue nota sit, siue noua; de decoro seruando moribus apte effingendis ætatis cuiusque; quæ non sint promenda in scenā, nec sub oculos; de lōgitudine fabulæ scenicæ; de machina adhibenda in Tragœdijs, de choro tragico; de Harmonia, & Rhytmo in his quę Chorus intercinit: dixerat & ante obiter non solum de Poesi, quæ imitatur metro tantum, vt Epopæia, & Elegia, sed etiam de illis quæ adhibent Harmoniam, & Rhythmum, vt est Lyrica: dixerat metrum ex Iambo confectum assumptum esse a Comœdia, & Tragœdia. Postquam autē ostendit ortum tenuem, & incrementa Tragœdiæ, & omnium quæ pertinent ad Tragœdiam, ita vt Tragœdia, sicut etiam dicit Aristoteles, videatur ad summum peruenisse, & nihil in ea desiderari, ostendit postremo de reliqua fabula quarta, scriptores Tragœdiarum fuisse etiam auctores Satyrarum: quippe in quas inducerent etiam personam aliquam tragicam. Huic docuit conuenire characterem medium, qui tropis ornatur; numerū uero carminis non mollem penitus; & cauendam esse verborum obscenitatem, quæ animos ingenuos, & honestos offendere possit. Quæ sequuntur partim, secundo veluti loco, Methodum susceptam attingunt, vt de ortu, & laude poetices, de uetere Comœdia, & noua, de latinis prætextis & togatis, cuiusmodi debeat esse mendaciū Fabulæ; partim a re non aliena monent Poetas Latinos. Nam & in veteribus erat quod iure posset reprehēdi, & Horatij tempore omnes carmina facere, & poæmata scribere audebant, quòd ignorarent cuius hominis esset id posse recte facere. Itaque ostendet, quantum ingenij, quātum doctrinæ desideretur in scriptore carminum, & in poemate scribendo non posse ferri mediocritatem, sed summam & absolutam numeris omnibus perfectionem requiri. Primū igitur docet, rationē metri Iambici diligenter obseruatam a Græcis, Comicis, & Tragicis Poetis, non sic a Latinis, quos & dignos

dignos reprehensione ostendit. Vt igitur superiora sunt velu ti propria membra Methodi institutę,& eã intime attingunt; sic quę sequuntur, ab eadem Methodo nõ aliena, reliqua comprehendunt, quibus recte scribendi carminis ratio cõtinetur.

Syllaba longa breui subiecta uocatur Jambus, 1
Pes citus. Vnde etiam trimetris accrescere iussit
Nomen Jambeis: Cum senos redderet ictus
Primus ad extremum similis sibi; non ita pridem
Spondeos stabiles in iura paterna recepit
Commodus & patiens, non ut de sede secunda
Cederet, aut quarta socialiter.

Dixit antea Comœdias & Tragœdias hunc cępisse pedem, 1 alternis aptum sermonibus; nunc declarat cuiusmodi essent carmina Iambæa, quibus Fabulę scenicę vterentur, quę trimetra vocabantur. Asciuerunt quidem ipsum Iambum, quia propter celeritatem esset aptus sermonibus serendis mutuo, vt fit in illis fabulis. & quoniam in Trimetris iure dominaretur, à se illa vocari voluit. Quid ergo erant Trimetra Iambęa? cum (inquit) initio è sex Iambis continuis constaret versus Iambicus, & Senarius vocaretur, quòd senos redderet ictus, in quibus singulis erat dupla proportio, postea tardior vt paulo, grauiorq; veniret ad aures, locis imparibus spondeos stabiles admisit, ac mutata dimensione coniugationeque facta duorum pedum dissimilium, in quibus erat proportio sesquitertia, videlicet quatuor ad tria, nomen ipsi hoc accreuit, vt ex binis coniunctis pedibus alia facta dimensione, pro senarijs trimetra vocarentur. ornat autem multo lepore sententiam hanc, cum dicit,

Iussit; Recepit in iura paterna; Commodus & patiens.

Verbum, *socialiter*, indicat quam dixi συζυγίαν & coniugationem duorum pedum, quibus ita componendis ex eiusmodi trina dimensione hęc carmina Iambica Trimetra vocata sunt, sicut ex duabus coniugationibus Dimetra, ex quatuor Tetrametra. Non solum autem carmen Iambicum admittit imparibus locis Spondęum, sed etiã pares temporibus Spondeo vt Dactylum & Anapęstum: Trochęum prorsus repudiat: quẽadmodum vbi Trochæus dominatur, Iambus minime conuenit. sunt enim pedes inter se contrarij. Hinc auris erudita Pli-

nij in Præfatione ad Vespasianum reprehendit Catullum: qui in Endecasyllabis, in quibus Trochęus dominatur, permutatis prioribus eius carminis syllabis, ab Iambo, scilicet indifferẽter incipiens, duriusculum se fecit, quàm volebat existimari a veraniolis suis, & fabullis: breuis enim syllaba duriore & aridiore sono percutit aures. Id apposite monuit Plinius, dum Catulli verba sumens pro *Meas* fecit *Nostras*. non enim aliter recte sequatur, vt obiter emolliam. quod non animaduertentes Viri docti, incredibile quàm inepte in eo loco interpretando, vel emendando laborent.

Hic & in Atti
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Enni.

Hinc potest quisque causam intelligere, cur legem ostenderit Trimetrorũ. hanc.n. legem sic veteres Tragici Latini contemnerant, quasi eam nescissent: quorum poemata aliàs nobilia erant & verbis & sententijs. Nam vix Iambo relictus est locus vltimus: quod significat his verbis, *apparet rarus*. ita qui nominari deberet Iambus, iure pulsus paterno, nullum in Trimetris apud eos nomen habet. mutatus est enim numerus & celeritas carminis: quod significat dicens:

In scenam missos magno cum pondere uersus.

Sunt enim trimetri versus effecti tardissimi, facti ex spondeis, & non amplius Iambæi, sed Spondaici vocandi sunt. peccarunt autem vel negligentia, vel ignorantia. neque enim alia potest afferri eius peccati causa: quorum vtrunque scriptori turpe est. Is autem est ordo huius sententiæ: Ea res, quòd rarus Iãbus appareat in trimetris, premit versus eiusmodi missos in scenam cum magno pondere, ex spondeis scilicet tardissimis, crimine turpi, aut operę celeris nimium, curaque carentis, idest scripti carminis negligenter, aut artis ignoratę, & legis conficiendi trimetri.

Non quiuis uidet immodulata poemata iudex,
Et data Romanis uenia est indigna poetis.

Audiunt Tragœdias & plebs imperita, & viri elegantes, & docti. Quid si scriptores non putarunt sibi in eo laborãdum, quòd hoc peccatum non quiuis esset visurus? quid, si qui id viderunt, illud ipsis facile ignouerunt, nec esse putarunt magni momen-

momenti? quod pertinet ad hoc secūdum, vno illo uerbo respondet, *Indigna fuit eiusmodi venia*. nullo enim modo eiusmodi peccatum dignum erat uenia. quod uero pertinet ad primum, sic respondet:

Iccirco ne uager scribamque licenter, an omnes
Visuros peccata putem mea tutus, & extra
Spem veniae cautus?

Non est aberrandum a recto, nec faciendum licenter, quoniam id cęteri cognituri non sint. Immo tam diligenter cauendum est, ne pecces, ut semper putes omnes uisuros peccata tua, hoc nimirum uno tutus, & nulla spe ueniae fultus.

Vitaui denique culpam,
Non laudem merui.

Hoc illo spectat, ut significet in carminibus scribendis non satis esse culpam uitare; sed ita scribendum esse, ut sis dignus laude. Quanto ergo studio uitandum est, nequid peccetur? uidebimus infra, in Poeta non mediocritatem, sed summa omnia requiri. Vt ergo Pisones laudem assequamini in scribēdo,

Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.

Poetae Graeci doctrina & ingenio abundantes, quae scripsere, ea ferè perfecta sunt, aut ad id, quod perfectum est, proxime accedunt. ab his exempla petenda sunt recte scribendi.

At vestri proaui Plautinos & numeros, &
Laudauere sales, nimium patienter vtrunque,
Ne dicam stulte mirati: si modo ego & vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus, & aure.

Non solum Tragici Latini, sed nec Comici Trimetrorum faciendorum legem seruarunt. Inter quos tamen veteres Romani videntur mirifice delectati numeris & facetijs Plauti: tametsi qui sit metricae artis peritus, aures illorum imperitas iudicare, & vir elegans Plauti dicta pleraque scurrilia, & tabernaria esse facile intelligere possit.

Ignotum Tragicae genus inuenisse Camoenae

Dicitur, & plaustris vexisse Poemata Thespis,
Quæ canerent agerentq; peruncti fecibus ora.

Origo & incrementa tradūtur Tragœdię, & eorū quæ pertinent ad Tragœdiā. Incipit autem à Tragędia, quòd existimetur reliquas fabulas vetustate antecedere. nam aliud est qd Aristoteles facit Homerum omnium fabularum auctorem, quòd in eius Margite esset expressa Comœdiarum similitudo; in Iliade & Odyssea Tragœdiarum. & pro Iambicis poetis ait Comicos successisse; pro Epicis, Tragicos. Hic traditur initium poematis Tragici apud Athenienses, qui sibi & frugum, & doctrinarum, & religionis, & harum omnium fabularum laudē & inuentionem vindicabant. Primus igitur Thespis fecit carmen, quod per Chorum agebatur & canebatur in honorem Liberi Patris, idque in plaustris circumactis per pagos: quod carmen Tragicum vocatum est ob hircum, quo Poeta donabatur. sic enim supra dictum est, *Carmine qui Tragico vilem certauit ob hircum.* Hoc idem significat & Virgil. II. Georg.

Non aliam ob causam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proscenia ludi:
Præmiaq; ingenijs pagos & compita circum
Thesidæ posuere.

Alij volunt Tragœdiæ nomen deductum à fecibus, quæ τρύγες Græce dicūtur, quòd Chorus ille caneret carmen illud, vt hic dicit Horatius, *perunctus fecibus ora.*

Post hunc personæ pallæq; repertor honestæ
Aeschylus, et modicis instrauit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui nitiq; cothurno

Quamquam alij post Thespim ante Aeschylum scripserunt Tragœdias; tamen, quoniam primus Aeschylus postea Tragicus fuit qui laudari possit, cęteros omittit. Ornauit Tragędos palla, veste honesta usque ad talos, quæ etiam postea pretiosior facta est & lōgior. quod antea significauit, *Traxitque vagus per pulpita vestem:* σύρμα Græcis est. sic pulpita maiora facta sunt & ornatiora. fuit Aeschylus primus tragicus grandiloquus, sed styli maiestas maiore iudicio aucta est à Sophocle. Hinc illud, *Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.* quod & Aristoteles testatur, & supra significauit Horatius.

Et

Et tulit eloquium insolitum facundia preceps,
Vtilumque sagax rerum & diuina futuri
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

nihumque

Successit vetus his Comœdia, non sine multa
Laude.

Post Thespim & Aeschylũ successere, qui veterem Comœdiã scripsere, vt Crates, Cratinus, Eupolis, Aristophanes. fuit hæc initio Comœdia perutilis ad mores emendandos: nam vt etiam Horatius testatur Sat. 4. libri primi.

Siquis erat dignus describi quòd malus, aut fur,
Quòd mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.

Hac libertas, vt scribit ad Augustum,

Recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter, donec iam sæuus apertam
In rabiem verti cœpit iocus, & per honestas
Ire domos impune minax. doluere cruento
Dente lacessiti. fuit intactis quoque cura
Conditione super communi. quin etiam lex
Pœnaq; lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Describi.

Alcibiades enim Princeps Reipub. Ath. Eupolidis & Aristophanis tempore, id lege cauit. Idem à Græcis acceptum cautũ fuit lege duodecim tab. vt est apud Ciceronem in libris de Rep. Siquis carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri. cuius rei meminit etiam in 4. Tusculan. ne liceret fieri carmen ad alterius iniuriam. & Horatius Saty. prima secundi libri.

Si mala condiderit in quem quis carmina, Ius est
Iudiciumque esto.

Sic ergo & hoc loco,

Sed in vitium libertas excidit & vim
Dignam lege regi. Lex est accepta.

Itaque sublata libertate turpiter nocendi, Chorus, qui adhibebatur in veteri Comędia, obticuit, & cõuerso stylo ad bene dicendum, alio argumento & modo confecta est noua Comœdia: in qua floruit Menander, & alij multi.

Nil intentatum nostri liquere Poetæ,
Nec minimum meruere decus vestigia Græca

Ausi

Ausi deserere, & celebrare domestica facta,
Vel qui Prætextas, vel qui docuere Togatas.

Postquam satis dixit de origine fabularum poeticarũ, quarum Græci auctores extitere, aptissime adiungit Prætextas & Togatas, quę Latinæ sunt, & pertinent ad laudem Latinorum Poetarum. non solum enim Latinus Poeta, vt scribit in Epistola ad Augustum, otio parto post Punica bella, animum appellens ad Poetas Gręcos Tragicos;
Tentauit rem si digne vertere posset,
Et placuit sibi natura sublimis & acer:
Nam spirat Tragicum satis, & feliciter audet.

idem Et item fecit in conuertendis Comędijs Gręcis, sed relictis argumentis Gręcis celebrauit domestica facta, tragœdias scribens argumento Latino, quas Prætextas vocauit ab ornatu principum Romanorum, & Comœdias Latinas, quas Togatas vocauit ex personis togatis. tales comœdias opinor scripsisse Fundanium, amicum Horatij; de quo in Satyra decima libri primi.
Arguta meretrice potes, Dauoque Chremeta
Eludente senem, comis garrire libellos
Vnus viuorum Fundani.

Quòd enim Græcarum Comœdiarum personas nominet Dauum, & Chremeta Terentij, id solum significat, illum mirabiliter inducere seruos herum fallentes dolis: & Prętextam scripsit Pollio: de quo post Fundanium sic scribit:
Pollio Regum
Facta canit pede ter percusso, id est trimetro.

Quo argumento esset illa Tragœdia Latina, indicat Ode prima Libri secundi: qua de re Virg. quoque in Bucolicis.
En erit vnquam
Illa dies mihi, cum liceat tua dicere facta?
En erit, vt liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna Cothurno?

Post hanc laudem Latinorum Poetarum maxime apposite subijcit, quid desit poetis Latinis, sicut supra reprehendit negligentiam in faciendis trimetris.
Nec virtute foret, clarisve potentius armis,
Quàm lingua Latium, si non offenderit vnum-
Quemque Poetarum limæ labor, & mora.

Id quod significat etiam in Epistola ad Augustum.

Sed turpem putat in scriptis, metuitque lituram.

Nolunt Poetæ Latini, sicut res poscit, lẽte & fastidiose scripta sua iudicare, & viris doctis iudicanda tradere. Cum hoc ergo sit in primis studium iudicandi & corrigendi adhibendum ad perficiendum ab omni parte Poema, Pisones suos ita monet:

Vos o
Pompilius sanguis carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non castigauit ad vnguem.

Tamdiu carmen premere & castigare oportet, minimis etiã quibusque maculis deletis, quoad perficiatur ad vnguẽ. Hac de re dicetur & infra magis aperte. nisi enim tale sit carmen, quod & laudent & admirentur omnes, dicet non esse tolerandum.

Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit, et excludit sanos Helicone poetas
Democritus: bona pars non vngues ponere curat,
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium nomenque Poetæ,
Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Lycino commiserit. o ego lauus,
Qui purgo bilem sub verni temporis horam,
Non alius faceret meliora Poemata.

De hac sententia Democriti, & Plato, & M. Tullius. sed facete Horatius ludit: qui stulte insaniam, & furorem, de quo Democritus, accipiendo, stulti & ridiculi efficiuntur, vt sic transeat ad illud quod serio monendum est, sine quo recte scribere nemo potest. itaque sequitur:

Verum
Nil tanti est. ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi.
Munus & officium nil scribens ipse docebo,
Vnde parentur opes, quid alat, formetque Poetam,
Quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error.

Quoniam omnes passim scribebant carmina, vult ostẽdere, qualem virum poscat hoc studium. ea vero breuiter monebit

nebit & vniuerſe de homine,& de re ipſa, vt ad illa quæ diximus ſupra Methodum ipſam intime attingere, nihil amplius deſiderari poſſit, quod dici ſit neceſſe de Methodo ſuſcepta.

Vnde parentur opes.

Oportet enim Poetam virum eſſe, vt videmus, admodum locupletem.

Quid alat,formetque Poetam.

Opes autem requiruntur ad alendum,perficiendumque Poetam: nam opus Poetę deſiderat artificem perfectiſſimũ.

Quid deceat,quid non.

Hæc de re,vt opus tale efficiatur quod iure placere debeat.

Quo uirtus.

Præſtantia Artificis, qua perficitur opus. Nam opera omnia in omni arte,ſua quæque virtute perficiuntur.

Quo ferat error.

Hæc enim res ludicra, &, vt vocantur, nugæ iſtę niſi ſcriptor,vt oportet, præſtet virtute,ſuum ſcriptorem ſeria ducẽt, in mala deriſum ſemel, exceptumque ſiniſtre.

Scribendi recte ſapere eſt, & principium, & fons.

Sapiẽtię doctrinæque poſſeſſio: non ergo ſine Philoſophia recte ſcribi poteſt.

Rem tibi Socratica poterunt oſtendere charta.

Socrates apud Platonem de omni rerum genere diſputat: demonſtrat ergo,vnde parentur opes, & poſſeſſio ſapientiæ, niſi autem opera Poetæ multiplicem doctrinam oleant, placere diu non poſſit.

Verbaq́, prouiſam rem non inuita ſequentur.

Sic ergo & Cicero: rerum enim copia, verborum copiam gignit.cognorit tamen oportet ornatiſſimos quoſque ſcriptores. Ita facile in rerum abundantia ad orationis ornamenta, ſine duce,natura ipſa,ſi modo eſt exercitata,labetur.præterea ſi eſt honeſtas in rebus ipſis,quæ ſcribuntur, exiſtit ex rerum natura quidam etiam ſplendor in verbis.

Qui didicit,Patriæ quid debeat,& quid amicis,
Quo ſit amore parens, quo frater amandus,& hoſpes,
Quod ſit conſcripti,quod iudicis officium,quæ
Partes in bellum miſſi ducis.ille profecto
Reddere perſonæ ſcit conuenientia cuique.

Poesis est imitatio morum & vitę. itaque illa præcipue philosophia requiritur in Poeta, quam Politica facultas complectitur, de iustitia, de officio, de ciuitatibus instituendis & regendis, de vita & moribus, de pace & bello, & omnibus quæ versantur in hac vitæ societate: quo reddere personæ sciat conuenientia cuique.

Respicere exemplar vitæ morumque iubebo
Doctum imitatorem.

Apte dicit *Imitatorem doctum*. doctrina enim antecedat oportet, vt possit recto iudicio inspicere, & animaduertere vitas & mores hominum, qui differunt ingenijs, ætate, fortuna, studijs, genere, ciuitate. ex hac.n. animaduersione diligenti veras oportet ducere uoces, q̄ tribuantur personis Fabulæ.

Interdum speciosa locis morataque recte
Fabula.

Hoc secūdum *morataq; recte* est interpretatio antecedētis, *speciosa locis*. Poesis.n. locos oēs uitę & morum tractat scite & docte: & Poeta nihil aliud est, quàm doctus morū imitator. *Nullius veneris*. Quamquam nullo uerborum fucato nitore splendeat oratio. *Sine pondere & arte*. significat grauitatem electorum uerborum, & artem adhibitam in concinnanda oratione.

Sic versus inopes rerum nugæque canoræ.

Sūt in quibus nitet ab omni parte splendor orationis, nullā redolentibus doctrinam, & philosophiam. nec illa superiora perfecta sunt, quibus deest nitor orationis: sunt tamen præferenda, si cum his conferantur; & hoc interdum etiam populus iudicat.

Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo
Musa loqui, præter laudem nullius auaris.

Præstant ingenio Græci. id non adimit Latinis; sed significat ad præstantiam doctrinæ id quoq; requiri. habent linguā, ex qua facilius, quàm ex Latina, rotundior & suauior efficiatur oratio. multum enim laborauit Virgilius in molli Georgicorum carmine condendo. sunt Græci, gloriæ cupidissimi: quod in omni re perficienda incredibile quantum interfit. Romani sunt pecuniæ cupidiores. itaque Plautus etiam non astricto percurrit pulpita socco, & legem negligit trimetri iābæi. Gestit enim numum in loculos demittere, posthac securus cadat, an recto stet fabula talo. Huic igitur sententiæ facete adiungit sequentia carmina de pueris Romanis, quos ple-

rique patres mittebant in Flauij Magni ludum, ut est in Saty. vj. primi libri. Sed ex his satis est, si nos itelligamus ad Poemata condenda afferri oportere præstantiam doctrinæ & ingenij, acerrimum studium, laborem, diligentiam, ex quibus omnibus nihil aliud spectemus, quàm gloriam.

Aut prodesse volunt, aut delectare Poetæ:
Aut simul & iucunda, & idonea dicere vitæ.

Siquis consideret originem illam faciẽdorum carminum, cum postquã populus functus esset sacris & potus, Fescennina licentia versibus alternis opprobria rustica fudit, & deinde inuentas, & compositas tanto artificio fabulas, & ornatum egregium orationis, & numerum ipsum carminũ; intelliget in carmine, & poemate spectatam esse præcipue voluptatem. Viri tamen docti, vt Sophocles & Euripides, & Comici quoq; magno iudicio cum voluptate, quę videtur finis pręcipuus carminis, coniunxere, vbicunq; res se offerebat, præcepta vtilia vitę, quibus torquerent ab obscœnis, & formarent animos præceptis ad virtutem amplectendam. Hoc illud est, quod antea significauit Horatius.

Utiliumque sagax rerum, & diuina futuri
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

Hanc nunc sententiam, pręceptum complectẽtem vtile vitæ, monet breuem esse oportere, vt memoriæ facile mandari & retineri possit. sit astricta verbis simplicibus & necessarijs. nihil hic sit superuacui, quod videatur tanquam euomi ex pleno stomacho. elucent eiusmodi sentẽtiæ maxime in Horatio, quibus mirifice illustrat sua poemata. Et de Euripide testatur Cicero: cuius versus prope singulos singula putat testimonia. significat igitur esse reijcienda carmina, quæ nec prosint, nec delectent, dicit illum esse omnibus pręferendum, qui miscuit vtile dulci.

Ficta voluptatis causa, sint proxima veris:
Nec quodcunque volet, poscat sibi fabula credi:
Neu pransæ Lamiæ viuum puerum extrahat aluo.

Poeta non est scriptor rerum vere gestarum: quod ex ipso quoq; nomine intelligi potest. & fabula res est ficta, & ad delectandum inuenta. vt ergo magis delectent, ea etiam scribũt quæ fieri non possunt. monet ergo ne sint tam longe disiuncta à veris: quale est illud quod dicit de Lamia: sed sint proxima veris, & vt dicit Aristoteles ἀδύνατα πιθανά, quæ tametsi fieri non possint, probabilitatem tamen quandam habeant, vt

quæ

quę multa Poetæ fingunt facta vi diuina, hæc & admirabilitate delectant, & magis eligenda, quàm quæ fieri possint, & non videantur probabilia.

Centuria seniorum agitant expertia frugis:
Celsi prætereunt austera Poemata Rhamnes:
Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.
Hic meret æra liber Sosiis: hic & mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat æuum.

Ex vario palato Senatorum, & Equitũ, quos Equites, & diuites & elatos ostendit etiam in Epistola ad Augustum ad voluptatem magis propensos, cum dicit:

Verum equitis quoque iam migrauit ab aure voluptas
Omnis ad incertos oculos, & gaudia vana.

Ex horum igitur diuerso palato concludit, qui velit oĩb. placere, eum oportere & delectare & prodesse, eiusmodi poemata emi ab omnibus, & ad peregrinas terras deferri, & scriptoris nomen immortalitati commendare.

Sunt delicta tamen, quibus ignouisse velimus.
Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus & mens:
Poscentique grauem persæpe remittit acutum:
Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus.
Verum vbi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura.

Supra monuit, longa mora ita limandum esse poema, ut ab omni parte sit absolutum & perfectum, itaque & poetam oportere esse omnibus doctrinis excultum, & ingenio excellere. nunc ergo illò nos vult perducere, ut doceat in Poeta mediocritatem non posse laudari, sed summa omnia & perfecta requiri: vix enim venia dari potest, atque id opere in longo, si maculæ quædam leuiores deprehendantur ex incuria & imbecillitate humana: quæ quidem conari ad perfectum, peruenire vero vix, aut ne vix quidem potest.

Quid ergo?
Vt scriptor si peccat idem librarius vsque,
Quamuis est monitus, venia caret: & citharedus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.

Hæc sunt peccata ingenij tardi & negligentis, quale studio Poetico minime idoneum est.

Sic mihi, qui multum cessat, fit Cherilus ille,

Quem bis terque bonum cum risu miror.

Ergo in huius carmine non plura nitent, vt antea dixit, vt paucis maculis ignosci possit, quas aut incuria fudit, aut humana parum cauit natura. *Et idem*

Indignor. quandoque bonus dormitat Homerus.

Tantum abest vt ferri possit qui multum cessat, & vix aliquã do aliquid recte facit, vt ego indigner. quandocunque Homerus bonus alioqui, & præstantissimus in omnibus fere, videtur dormitare, & oscitãter aliquid facere. verum, inquit, opere in longo fas est obrepere somnum. Ex his intelligi facile potest, quod antea dictum est, in poeta summum ingenium, summam doctrinam, summam diligentiam, summa omnia desiderari: ut opus, quod faciendum suscipit, summũ esse posit.

Vt pictura poesis erit: quæ si propius stes,
Te capiet magis, & quædam, si longius abstes.
Hæc amat obscurum: volet hæc sub luce videri,
Iudicis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit semel: hæc decies repetita placebit.

Quale igitur oportet esse poema conscriptum? sit illi simile picturæ, quæ si propius stes, te capiet magis. Nam est etiã aliqua pictura, quæ magis placet, si longius abstes. cui picturæ. quod est simile poema non vult attente cõsiderari, nec in luce inspici, & a peritis. quod vero poema vult sub luce videri, nullius docti iudicis formidat acumen. potest illud poema semel placere; hoc, quo sępius & attentius legetur, tanto magis placebit. talem oportet esse perfectionem operis poetici.

O maior iuuenum, quamuis & voce paterna
Fingeris ad rectum, & per te sapis: hoc tibi dictum,
Tolle memor: certis medium & tolerabile rebus
Recte concedi, consultus iuris, et actor
Causarum mediocris, abest virtute diserti
Messalæ, nec scit quantum Cascellius Aulus;
Sed tamen in pretio est: Mediocribus esse poetis,
Non homines, non Dij, non concessere columnæ.

Huc volebat peruenire, vt ostenderet non laudari mediocrẽ poetam, sicut laudatur mediocris iuriscõsultus, & mediocris orator. summa omnia requiruntur in poeta, & opus ipsius oportet sit absolutissimum: quod iudex Tarpa, quod Apollo, in cuius Æde poemata recitabantur, quod assiduo ruptæ lectore columnæ approbent: quod præstet, quod ematur, quod mare transeat, & longum scriptori proroget æuum.

Vt

Vt gratas inter mensas symphonia discors,
Vt crassum vnguentum, & Sardo cum melle papauer,
Offendunt, poterat duci quia cœna sine istis;
Sic animis natum inuentumque poema iuuandis,
Si paulum summo discessit, vergit ad imum.

Sunt vnguenta, & Musici, & reliqua, quę dicit Horatius, sicut scribit Homerus ἀναθήματα δαιτὸς appendices & ornamēta epularum: cuiusmodi res oportet esse pretiosas, & quę maxime laudentur: sic & illa, quæ apponūtur in secundis mensis cōuiuis iam saturis, esse oportet exquisitissima. Sic in quibus artibus non vtilitas quæritur necessaria, sed animi libera quędam oblectatio, quicquid est in quo offenditur, id etiam illa quæ laudanda sunt, obruit. atque in ijs hominum iudicium perdiligens est, & prope fastidiosum. in hoc numero sunt histriones. neq;. n. Aesopum actorem præstantissimum, si paulū irracuisset, audissent. in hoc numero sunt Poetę, & opera Poetarū, in quibus vel paruum peccatum omnē operis dignitatē obscurat. exquisitissima. n. ferè & perfectissima esse oportet, quæ non necessitatis, sed voluptatis causa comparata sunt.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusq; pilæ discive trochive quiescit,
Ne spissæ risum tollant impune coronæ.
Qui nescit, versus tamen audet fingere. quid ni?
Liber et ingenuus præsertim census equestrem,
Summam numorum, vitioque remotus ab omni. Facete hæc subijcit more suo, postquam ostendit Poetam optimarū artiū studijs excultū esse oportere. idē hoc modo reprehēdit, & alibi:
Scribimus indocti, doctiq; poemata passim.

Quod vero nunc lepide ludit de equite, de ingenuitate, de bonitate, de diuitijs, infra eadem de re fusius iocabitur. non solum enim oratione culta, & hilari ornat institutam Methodum, sed etiam iocis præsertim in fine.

Tu nihil inuita dices, faciesq; Minerua.
Id tibi iudicium est, ea mens: siquid tamen olim
Scripseris, in Metij descendat iudicis aures,
Et patris, & nostras; nonumque prematur in annum.
Membranis intus positis delere licebit,
Quod non edideris. nescit vox missa reuerti,

Eruditus erat studio paterno, vt antea significauit hic adolescens, dixit enim, *Quamuis & voce paterna fingeris ad rectum, & per te sapis.* verum non solum doctrina, sed ingeniū etiam

requi-

requiritur in Poeta,& aptum ad id quod suscipitur. propterea monet:
Tu nihil inuita dices faciesq́, Minerua. & præterea, si quid vnquam scripseris; adhibe doctorum iudicium, qui multo tempore & multa litura coerceat scripta, ut supra dictum est; neq; emittantur, nisi ad unguem castigata & perfecta.

Siluestres homines sacer interpresque Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus.

Lepidis, ornatis, suauibus, & numerosis carminibus extollit studium poeticum: in quo si difficillimum est excellere, nemo mirari debet. sunt enim omnia præclara rara. studium diuinum est. hominem diuinum requirit. nec carmen res leuis est, quamuis uocetur res ludicra; & scribere carmina ludere dicant, & carmina lusus & nugas. carmen antiquissima res est, qui enim primi scripsere, carmine scripsere. Poetę fuerunt uiri sapientissimi, auctores Ciuitatum instituendarum. Epico carmine uirtus bellica, & uiri principes laudati sunt. Vitæ præcepta carmine monstrata sunt, oracula data, repertus ludus populis fabulis Tragicis, Satyricis, Comicis. uidetur autē Horatius significare hunc adolescentem delectatum esse carminibus Lyricis dicens: *ne forti pudori*
Sit tibi Musa lyræ solers, & cantor Apollo:
Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est. ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium: alterius
Sic altera poscit opem res, & coniurat amice.

Ad illud hoc pertinet, quod attigit supra, dictum a Democrito de Poetis: quos non arte & studio, sed natura valere oporteat, & mētis ac ingenij viribus. Hanc quæstionem vltimo loco, ut facit etiam Aristoteles in Methodis scribendis, breuiter & verissime dissoluit, Præstantiam ingenij ita demum ualere, si exculta sit magnarum artium disciplinis, nec locuples ingenium per se satis esse, nec doctrinam sine ingenio locuplete. Itaque monet, opus esse iam inde usque a pueritia acerrimo studio, maximo labore, summa industria uersatum esse in optimis artibus. sic enim inquit:
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudauit & alsit,
Abstinuit Venere & vino. qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque magistrum.

Non

Nō secus faciendum est in excolēdo bono ingenio a pueritia, atque ille facit, qui cupit in stadio cursu vincere, aut aduersarium luctādo, uel cestibus. oēs a pueris exercentur in laboribus, Alipta magistro & duce. sic fit in cæteris fere artibus, omnibus faciendo, & laborādo perdiscenda sunt, quæ præcipiuntur in arte. Poeticum studium est omnium difficillimum, in quo summa omnia requiruntur, ingenium, doctrina, labor, industria, contemptio voluptatum, mentis ardor ad gloriam, otium, facultas, & ratio discendi recta, suscepta ab ipsis propemodum incunabulis.

Et hæc igitur Horatius cōplexus est, quę vniuersè de Poeta, & de re, quā tractat Poeta, ut dicerentur conuenire uisa sunt: ut haberetur integra Methodus de Arte Poetica, scripta carmine ab intelligente Poeta, diu versato in optimis Poetis diligentissime cognoscendis, & qui eruditus a puero fuerat optimarum artium disciplinis.

Nunc satis est dixisse, Ego mira Poemata pango.

Vrbana reprehensione in vulgus Poetarum ætatis suæ claudit opus, ostendens quid intersit inter iudicem assentatorem, & uirum doctum, ac bonum, cui carmen iudicandum tradatur.

Quintilio si quid recitares. Exemplum proponit sinceri & candidi Iudicis. *Melius te posse negares.* Sicut torno perficiuntur opera, ut nihil relinquatur non modo quod reprehendi possit, sed quod speciosum non sit: sic perficienda sunt singula carmina, & quibus in sentētijs & carminibus id fieri non potest, ea delenda sunt. Huc illud pertinebat, quod dixit de Homero, *Et quæ desperat tractata nitescere posse, relinquit.* nitida & splendida omnia sint oportet. *Vir bonus,* hoc ad fidem pertinet. *Et prudens,* hoc ad doctrinam & iudicium. *Versus reprehendet inertes,* significat asperitatem numeri ob asperum & hiulcum verborum concursum. *Culpabit duros,* significat durā & horridā orationem. talē orationem in Epistola ad Florum vocat asperam, quam sano cultu leuare & polire oporteat. *Incomptis.* Nullum esse carmen oportet non elaboratum ad vnguem. Sed etiam in ornando videndum, nequid nimis. itaque sequitur: *Ambitiosa recidet ornamenta,* & ad Florum. *Luxuriantia compescet.* præterea tollenda est ambiguitas omnis. *Mutanda notabit* vniuersè significat illa, quæ sunt in Epistola ad Florum.

Audebit quæcunque parum splendoris habebunt,

Et

Et sine pondere erunt, & honore indigna ferentur,
Verba mouere loco. & pro illis splendida, grauia, & multum habentia dignitatis reponet, prudenter conspergens orationem nouis luminibus, verbis scilicet translatis, nouatis, inusitatis, & his quæ de Græco fonte cadant.

Hæc igitur requirit a carminum scriptore, præstans ingenium, excellentem doctrinam, & accuratam ac longam in limando operam, ac ne sibi confidat, sed doctos in primis & fideles amicos consulat. Omnis autem oratio debet esse accurata, sed poetica omnium politissima & exquisitissima.

Vt mala quem scabies, aut morbus regius vrget.

Ostendit quidem Horatius oportere Poetam excellere doctrina, & ingenio, & opus Poetæ esse hominis bene sani. Multi vero, ut antea vidimus, Horatij tempore ex Democriti sententia credentes Poetam non esse nisi furentem, & insanum, omnia faciebant, quibus insani existimarentur: vt sic Poetę nomen nanciscerentur. Postquam igitur, etiam ludēs, omnibus satisfecit, quæ iudicauit pertinere ad susceptam Methodum, siue artificem, siue opus artificis spectes, digrediēs ad illos, qui propter insaniam videri volebant Poetę, facetissime ludit eiusmodi Poetas, Lectorem huius libri in extremo iucundissima complens hilaritate. Est enim hæc Methodus scripta carmine; atque ita scripta, vt non solum doctrinæ vtilitas, & admirabilis docendi ratio, sed verborum, & sententiarum multiplex ornatus, & numerorum suauitas, & arguciarum atq; vrbanitatis acumē, Lectoris non dormiētis animum eruditum maxime commouere debeant.


Sed nos aliàs huius doctissimæ scriptionis virtutes alijs demonstrandas concessimus: Methodum ipsam tantum exponendam suscipimus: in quo perdifficili opere siquid labor noster effecisse, nec inanis conatus noster viris doctis videbitur, iuuabit me quoque post tot interpretes huic doctissimæ tractationi aliquid lucis attulisse.

FINIS.

EIVSDEM

NICOLAI COLONII CARMINA

Ad Federicum Cornelium, cum esset Episcopus Bergomi.





V M partes summiq; Dei susceperis altum
Munus, vt æterna doceas præcepta salutis,
Ignarisque viæ populis Dux optimus acri
Cœlum ostendas cura: sim valde improbus, aut te
Si falli patiar de me, aut si fallere coner,
Institor & quisquis vitæ quas postulat vsus
Rerum venditor est, non solum mercibus ipsis
Multa adhibet pigmenta, tibi dignoscere qualis
Sit res, quæ inuideant: verum & mendacia miscet,
Nec iurare timet, modo pluris vendere possit.
Quid Medicus, Consultus iuris, cætera classis
Maiorum artificum? an quoniam isti in nobiliore
Munere versantur, minus ipsos vexat auarum
Quærendi studium, mercesque suas sine fuco
Ostentant? vilis ratio est versuta lucelli:
A recto vt cursu & virtutem torqueat ipsam.
At generosi quos incendit fulgor honoris,
Longè diuersum fallendi iter ingrediuntur;
Lucra pili haud faciunt: est hæc gens prodiga nummi:
Magnificè ædificat, vestit, largitur abunde,
Lautè conuiuatur, multos pascit, & amplos,

Non prore, sumptus facit, hac vt scilicet arte
Nobile se gerere, & pectus persuadeat altum,
Cui merito ciues, rerum & credantur habenæ.
Est & qui tecto ambitionis carpitur igni,
Quique domo arcta, victu sicco, vesteque vili
Obstipo capite incedens, vultusque seueri
Nube, grauis speciem & rigidæ virtutis adumbrat,
Cœlum atque alta loquens, humana hac omnia temnens.
Multa hominum vario obiecit natura palato,
Queis facilè capiamur; ad hac vt quenque libido
Proripit, ex quo vim lex, & mos sustulit, vnus
Quisque dolis riuales vincere tendit est astu:
Atque adeo fœcunda hominum sunt pectora fraudis:
Vt, siue improba sit natura humana parente
Deducta olim mendaci, seu moribus istuc
Inualuit prauis, hoc vitæ nil aliud sit
Quàm plena insidiarum ars, mercaturaq; fallax,
Pulchrior hic quam est, ditior, hic, meliorque videri
Vult, ego doctior, hic generosior, omnibus omnes
Artibus id conantur, vt eludatur amici
Stulta fides, pretium fraudes & mercibus addant.
Nil ego nunc venale habeo, clausaque taberna
Paruo contentus sedeo: cur pelle nitenti
Detracta addubitem, intus si quid turpe tegatur,
Nudare, atque animi puram, veramque tabellam
Designare mei, nullisque coloribus auctam?
Olim fortunæ, nunc naturæ, & mihi viuo.
Spectari decet in scena me nunc sine larua.
Qui sim, qui fuerim dicam. Pater optime gratas
Da quæso aures, non te multis vsque morabor.
Me, patre amisso puerili ætate abeunte
Fors vestra in patria variarum diuite rerum
Esse iubet, locus atque ætas custodis egentem
Molli nequitiæ adiunxissent, ni proba mater
Paupertas, inopem victus pepulisset ad artes,
Queis ego consulerem melius famæque, famique:
Hinc Græci haud ignarum sermonisque Latini
Vrbs Pataui suscepit, felicissima, & ô mi
Quàm gratissima tempora, cum me viuere tecum
Contigit o Gerie, illa etenim vita illa vocanda est:

Hæ

Hac labor aut mors, quicquid te sine contigit aui
In terris esse aut continget: tu caue quicquam
Candidius potuisse putes meliusque videri
Diu quàm iuuenis fuit ille, & Episcopus olim
Fani Fortunæ; hunc Prioliusque & Polus amicum,
Par, cui nil vlla anteferat, nil comparet ætas,.
Hunc venerabatur Bembus doctissimus; istos
Heroas nam tunc vrbs illa illustris habebat.
Tunc me etiam vixisse iuuat: tunc si qua bonorum
Fortè habeo, arripui ex huius congressibus aureis.
Ex illo miseram vitæ palantis, et amplam
Ingressus scenam, ac personam pauperis, atque
Obscuri si diuite si mutare nitenti
Vestitu possem conatus, quæ mala passus
Sim, non hic libet enarrare; iocos potius, quos
Et risus mecum facio, memor illius æui,
Quantiuis pretij esse mihi cum alijsque videbar:
Cum Roma instrato mulo de more vehebar.
Consilium summi venabar Principis, aut quid
Reges molirentur, quid Germania Magni
Cæsaris imperium temnens atque omnia miscens
Iura Deique, hominumque. loquebar magna, animoque
Sperabam maiora. Ecce autem missus adusque
Sedulus extremos Dominus parat ire Britannos
Legatus, medio itur frigore, verrimus alpes:
Currentes mutantur equi, immensumque voramus
Terrarum spatium. Oceani demum æquora classe
Instructa transmittimus, heu spes vana laborum
Tantorum, nam febris Herum confecit iniqua.
Ergo malis rerum & natura victus inerti
Diuitias duris & fortibus æquus honores
Concedo, piger ipse ac mollis ferre laborem
Pauper & ignoto viuam hic inglorius æuo.
Desidiam hanc anni iam bis sex vsque fouere
Pergunt ingenio plaudentes, quod malum abhorret
Scilicet a virtute, laboreque, reque gerenda.
Non ego turpe quod est inuoluam nomine pulchro.
Atqui difficile haud erat, ætatem artibus olim
Quòd primā ingenuis dederim, quòd lædere quemquam
Non ausim, suadere bono me hanc viuere vitam

 Consilio,

Consilio, quia virtuti post omnia ponam?
Totus doctrinæ studijs, mentique colendæ
Deditus, at non est ita: nam siquis petat à me
Quid sodes peperere tot annorum otia fructus:
Nil proferre habeam; benè si non, ergo mali quid
Improbè agis: non certè: etenim haud licet absque labore:
Quin mala quàm bona vita negocia plura facessit.
Nequitiam egregiam narras, sic est, Pater, & te
Per virtutem, qua tu natus rebus agendis
Hos populos prudensque regis, fortisque tueris
Et mira pietate foues Pastorque Paterque,
Per mite ingenium, quo fers sapienter ineptas
Stultitias aliorum quæso meam quoque perfer.
Perbreuis est nunc lux, feriunt mala frigora pigros.
Deseret officium, nec te viset malus, excors
Cessatorque Colonius, id ne ægre patiare:
Siue erret solus seu pugnet cum pituita,
Quodque tuos comites hunc inter habere Tridenti
Accures nihil est, qui verbo aut veste decenti
Non queat aut facie simulare, bonosque imitari.
Hunc ne vbi flos hominum ac doctusq; bonusq; Calinus,
Esse velis tecum? ignauus marcescat ineptus
Hic vita sine, morbo etenim curarier haud vult.

Comprecatio pro Cardinali Albano.

*V I acclamarunt certatim in flore iuuenta,*
Purpureique oris flumen stupuere sonantis
Plenius; atque aures mulcentis vocibus aureis:
Qui res vrbanas sapiens & munera belli
Tractauit: mirandum exemplar rebus acerbis
Inuicti qui animi fuit: huic valido atque vigenti
Mente Deus latam praesta facilemque senectam.
Quae per te semper virtus in luce refulsit,
Praniteat magno Heroum sanctoque senatu,
Vsque tua dum vita plenus luce fruatur.

Comprecatio pro Augustino Valerio Episcopo Veronæ, creato Cardinali.


VEM nobili Adriæ sinu
Claris satum natalibus,
Et artibus cultum bonis,
Mens & voluntas optima
Carissimum omnibus facit;
Verona quo pulcherrima
Gaudet beata Episcopo:
Hunc tu, Pater Sanctissime,
Magnis adauctum honoribus
Magnis adauge luminis
Opibus tui. quo dissipet
Atros tumultus animi;
Et pectus armatum tua
Benignitatis gratia
Blandas amicûm voculas
Repellat, atque in omnibus
Inuicta stet constantia.
Sic explicata callidi
Hostis dolosis retibus
Mens fertilis virtutibus
Te diligat, tibi hæreat,
Atque in tuæ in spem gloriæ
Agat, loquatur omnia.
Tutela Numinis tui
Præsto sit illi ad omnia.
Nec ille te vnquam deserat;
Nec deseras tu illum Pater.
Hæc te precamur vnice,
Et cordis affectu intimo.

Sic

SIC mihi omnia prospere euenire
Concedat Deus, ultro ut et libenter
A Deo memori precatione
Semper poscimus, ut suo fauore
Vitæ tempora, cogitationes,
Et cursum moderetur actionum
Vestrarum: sedenim domi est abunde,
Quod foris petis alleuationis.
Intra pectora, quod petis, recondis
Affluentia copijs beatus.
Depromas licet hinc odora thura;
Quæ gratissima semper offerantur,
Queis tibi omnia fas sit impetrare
Pro te pro populo & bonis amicis.
I vir optime fortiter sequendo
Quo Deus vocat & fauor virorum.

Seruus. N.C.

Ad

Ad Petrum Spinum.

HANC vuam tibi Spine pusillam, acinisque carentem;
Non dat Berytos, nec Alexandrea Carinis
Aduectam Venetis. Ingens fœcundaque Vitis
Horti, quæ domibus geminis Vmbracula texit,
Atque beat geminas prædulci, & diuite fruge,
Produxit; lectam mater non illa tepenti
Furno, sed puro siccauit sedula Sole.
Omnia, queis humana egeat natura creatis,
Et quæ ad delicias, iucundamque omnia vitam,
Itala propignit, Frugum ditissima Tellus,
Aegyptum. Phœnicas, et extera quærere Regna
Non opus est; Hic hic sunt noster quæ exigit vsus;
Trudit Auaritia illuc nos & Sordida cura;
Quam nec, proh mores, nostri maris ora repressit;
Transuolat Hesperios fluctus, et litora nota
Fastidit. Semotum orbem, maioribus ante
Ignotum, iuuat integros accedere fontes
Diuitiarum. Sed bene doctum pectus auara
Curarum, Miserosque animo, Sæuosque Tumultus
Excutit; Et vitam, Quam tu sapienter amasti
Frugalem, Paucis contentam, amplectitur; ac se
In tanta rerum turba, cæcisque tenebris,
Natura & recti studio solatur amano.
Huic tandem studio multum optato, Huic ego vitæ
Posthabui, Quæ Roma potens promittere Sueuit
Stultis. Ad quæ si mea mens malesana redire
Olim moliretur, amicum non modo verbis
Castigare tuum, verum et tu fuste memento.

Ad Camillum Catianum.


I, quod vulgo aiunt, id tu quoque das, CATIANE; betas
Interdum supra betas, lapathumque olitorem,
Quod foret in rem, apte & non contemnenda locutum:
Et quando te cumque petit consultor ab agris
Ignarus legum, si non irasceris, inter
Narrandum causam, si forte obganniat extra
Quid de iure ipso rectoque: has accipe nugas,
Quas tibi scribit amicuius. & ridere licebit
Rupibus aeriis errantem Heliconis asellum.
Non facile est dictu, quàm me tua cognita virtus
Arcte deuinctum teneat. sensusque animusque,
Et mea mens in te prorsus consentit amando.
Est tamen, est a te de quo dissentit amicé.
Tu nihil esse putas, Latij quod diuite musa
Non recte exponi possit scribique decore:
Siue illa experiare, olim quæ diuus Homerus,
Siue Ariostus quæ nuper, conuertere malis;
Claros quæ Latij saltus collesque Quirini
Incoluere Deæ, facile has tibi verba daturas
Amborum proprio non concessura nitori.
At vero mihi nec tantarum Oenotria musa
Diues opum, nec posse videntur multa canore
Describi plaudente bona fœliciter aure.
Ac ne, sim quòd iners ipse ignauusque malusque,
Forte putes, ego quod non possim, credere stulte
Id fieri non posse: audi quæ deferar aura.
Haud numerat multos hæc ætas nostra poetas,
Exitium queis non vna iam barbarus hostis
Cum patria attulerit, ferro ignique omnia vertens.
Cur paucos ex his mentes auresque peritæ
Esse bonos statuunt? qui puris æthera complent
Vocibus, & dulci quæ vincunt mella sapore.
An quoniam summa omnia sunt perfectaque rara?
Atqui hic certe, aut nusquam, ex omni parte requirunt,
Quod placeat, cui nil desit, qui carmine gaudent.
Nec satis est non peccasse. ad mirentur oportet
Defixo herentes animo, qui munera Phœbi

Pieridumq́; legunt cœlestia dicta dearum.
Vidistin pridem, qui ad nos Orientis ab oris
Aduectus, cœlum ipsum extento fune petebat?
Hic dum securo graditur per inania passu,
Et modo summa petit pedibus, modo currit ad ima,
Labitur, erigitur, cœlum diuerberat ictu,
Ductis huc illuc manibus, mirarier omnes
Collabiq́; simul, tolliq́; ad singula miris
Corde modis affecti oculis vix credere nostris,
Sic mihi suspensos animos regat ore deorum
Vox non mortali manans è pectore, vatis.
Ergo adhibere opus est in verbis acre legendis
Iudicium. scriptor sic vt discrimina vocum
Aure internoscat, quæ dura, aut mollia dictu,
Horrida, quæq́; sono propulsent æthera leni:
Iudicat vt sano quæ gustat lingua palato.
Præterea hæc eadem sensu interiore notabit:
Ac veluti censor remouere Helicone seuerus
Ignauas volet omnino, aut sine pondere voces,
Et venere; extrudet viles & honore carentes.
Magni adeo res est hæc ludicra plena laboris.
Quinetiam Graijs opulento Copia cornu
Diuitias fudit, quibus & plenum atque canorum
Os sonat. at vero antiquum Latium haud ita diues
Lingua beat, nec Musa adeo dedit ore rotundo
Dicere, quæ vellet, diuis et Apolline dextro.
Vt maior nostris etiam sit cura laborq́;,
Aeterna cupiunt qui cingere tempora fronde.
Senserat hoc altusq́; Maro, purgataq́; Horati
Auris: & , exsudant dum multa diuq́; legendis
Vocibus, ac cauti omittunt, tractata nitorem
Quæ sæpe experti nollent admittere iniqua,
Ingenij tam clara sui monimenta dedere.
Quorum non solum hoc, aut illud postera secla
Præclare dictum laudarent, omnia planè:
Sed mirarentur tanto modulata lepore.
Hi me commonuere auctores: his ego fidens
Has ad te veritus non sum conscribere nugas.
Nam cur his potius credam? qui plurima frustra
Conati vacuum lectorem sæpe ita fœdis

Ver-

Versibus offendunt, vt prima percitus ira
Immeritam chartam conscindat, iure poeta,
Succensens: veluti qui ad cœnam multa rogatus
Nescio quò, cum offis mellitis allia, porrum,
Afferi vt vidit, quid te cogebat inepte
His vt me acciperes epulis? stultum q; repente
Iratus refugit stomacho turbatus inani.

Ad Fuluiam Gromelliam Io. Hieronymi Equitis. F.

NVmine te lauo atque oculis te, Fuluia, latis
Nascentem aspexit, cœli qui sidera torquet:
Cum in lucem suscepta es vtroque beata parente.
Namque tibi ante omnes genitrix pulcherrima, purum
Seu decus attendas mentis, siue ore decoro
Fulgens æterna lumen floremq; iuuentæ:
Est Pater & superis charus pietate; secundis
Et rebus dubijsq; potest qui recta tueri:
Cui rerum prudens animus, qui diuite lingua
Quas libet in partes animorum torquet habenas.
Horum tu studijs doctas exculta per artes
Fingeris ad mores sanctos, dum lubrica primum
Augescens ætas teneris se attollit in annis.
Gaude sorte tua: & diuinam agnosce parentum
Vocem, quid deceat, quæ sint fugienda monentem.
Dum pectus purum est, artes nunc adhibe sacras:
Et cultus animi sanctos nunc indue: vanos
Contemne ornatus alios, & quicquid inani
Stultorum cæcas deludit imagine mentes.
Nos gemmæ & aurum, nos purpura, nos decor omnis
Corporis, & laudes hominum plaususq; relinquunt.
It comes vna homini semper fidissima virtus.
Ergo animum semper cole: cœlum suspice semper:
Vnde illum hausisti. ille locus te arcesque beatæ,
Fuluia, migrantem terris post fata reposcunt.
Illic te virtus tandem & sapientia sistet.

Ad Michaelem Cararium.

NOctes tot insomnes, amice, ducere
Pro chara amici coniuge
Quid profuit? nil artibus Cois, nihil
Actum tot assidentium
Docta manu. tot irriti, proh Iuppiter,
Tot sunt labores, irrita
Tot vota, queis coniuxq;, materq;, & parent
Aures Deorum ferreas
Frustra faticabant. puellam illam auream
Crudelis Orcus abstulit.
Pro qua modo non tartara Orpheus audeat
Adire fretus carmine,
Sed millies mori, puella millies
Seruetur ut pulcherrima.
Sic Dys placet. qui singulis mortalibus
Dimetiuntur tempora
Arbitrio suo. nec est miserrimam
Necessitatem euadere.
Tu si sapis, cœnas reuises optimi
Spini, atque Alexandri, & meas,
Aut nos vocabis ad tuas, congressibus
Vt te beatis recrees.
Nam quicquid ætatis cum amicis degitur,
Solum id beate viuitur.

In funere Matris.

Laturus ergo mentis hoc fructus piæ
Frustra laboraui miser,
Ne pauperem in labore vitam viueres
Mater mihi carissima.
Si vix reuecto ab vltima Britannia
Dum gratularis filio,
Heu Fata crudelia, mihi eriperis. habe
Sors inuida tibi, nunc habe
Quascunque te volente comparaui opes.
Ingrata, Mater, omnia
Te sine mihi sunt. tecum abacta pariter est
Omnis voluptas hinc mea.
Quòd si meo fas esset arbitrio graues
Hos compedes effringere,
Essem statim secutus abeuntem comes.
Ingratis igitur & miser
Viuam, vsquedum cordi insitus dolor meo
Languore me confecerit.

Aliud.

Quid hoc amatur aui, & agris mentibus
Amor sedet stultissimus
Vita? quid habet hæc, quæso, vita amabile?
Labore plena ferreo
Sunt omnia, & siquid locatur in bonis,
Id aut haberi non potest,
Aut vix adeptus id labore maximo,
Repente sublatum ingemis.
Me patre puerum mortuo mœstissimum,
Angusta res domo expulit.
Heu quæ tuli, aut quæ non tuli miserrimus.
Nam sola seruitus malum
Est maximum. sed illa spes tamen interim
Animum meum vna erexerat:
Cum matre, quæ me amabat vnice, quam ego
Vel diligebam maxime,

Tem-

Tempus futurum, quo libenter viuerem.
Optata spes aduenerat.
Domum reuersus maximis periculis
Ab vltima Britannia
Iam cogitabam matris in dulcissima
Amore conquiescere.
Finem laborum adesse iam speraueram.
Et gratulamur inuicem.
Ecce illico mors inuida, ecce dissipat
Male ominata gaudia
I, nunc age, i, quacunque difficillima
Labore vincas improbo.
Tandem licebit perfrui laboribus.
O corda nostra plumbea.

Aliud.

NEmo dolorem leniat meum, neque
Conetur atri funeris
Oratione lacrymas abstergere.
Nam cordis arcem possidet
Dolor beatus, dulcis agrimonia.
Flemus libenter. sensimus
Tandem Dei benignitatem maximi.
Cœlestis o Sapientia
Salue, tenebras horrido qua pectore
Propellis ipso clarior,
Quod magna per conuexa cœli labitur,
Potentiorq; lumine.
Nam te sine nihil nos miselli cernimus:
Qui dicimus bonum malum.
Qui nec sciamus, cur in hocce luminis
Laboriosi nascimur.
Fruges, quibus vita indiget mortalium,
Inarata tellus denegat.
Redeunt simul voluentis anni tempora,
Redit quoque per orbem labor.
Atque interim sæpe aut iniquo sydere
Seges perusta, aut grandinis
Sæuo impetu diuerberata concidit.

Iam bella, morbiq́, et seges
Reliqua malorum corda nostra non sinunt
Laboris obliuiscier.
Sic optimus decreuit orbis artifex.
At nos superbi homunculi
Prærupta quæque montium conuellere
Stulti gigantes nitimur,
Ausi Deo pugnare: qui omnes machinas
Molimur, vt mollissimo
In otio duris procul laboribus
Liceat beate viuere.
Hic finis: huc consilia nostra pertinent.
Artes id omnes extudit.
Mercator impiger remoto littore
Vehit beatam copiam
Rerum omnium: manusque docta languido
Morbos repellit corpore:
Munita muris legibusque Ciuitas
Secura spectat otia.
Cæci bonum quod est fugimus, & quod malum est
Labore petimus irrito.
Nos otia affigunt humo, & res prospera
Onusta corda deprimunt
Graui veterno. tunc enim obliuiscimur
Rei indigentes nullius,
Cui nos oportet viuere, Dei altissimi,
Nostris superbi viribus.
Contra, labor, luctus, cruces, mala omnia
Cœlestis auxili admonent:
Cœloq́, reddunt: in Deumque tollere
Infirma cogunt lumina.
Quem dum tuemur, veritas illabitur
Sincera nostris mentibus:
Procul fugatur improbum mendacium.
Cœlestis o Sapientia
Salue, o beata & dulcis ægrimonia,
Quæ nos iacentes erigis.


VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA
IN ROMA



